


EPITOME
MANUALIS
MISSIONARIORUM ORIENTALIUM.

Ad simplicē usū Patris Lect: Hyacinthi à Fratta Maiori. Pertinet ad Conventum S. Mæ de M. Carmelo Terræ S. Antimi.

EPITOME
MANUALIS
MISSIONARIORUM ORIENTALIUM

AB ADMODUM R. P.

F. CAROLO FRANCISCO
A BRENO

Strict. Observantiæ S. P. Francisci Theol., Fideique Controversiarum præ-Lectore Generali olim Compositi;

Nunc verò in compendium redacti, & in Quatuor Partes divisi:

In quarum duabus prioribus Hæreses omnes Orientalem Ecclesiam turpiter fædantes brevi, sed clarâ methodo confutantur: In reliquis verò Casus omnes morales Missionarios ipsos Apostolicos respicientes continentur.

OPUS

Studiosis omnibus valdè utile: At ipsismet Missionariis prorsùs necessarium.

PARS PRIMA

CONTINENS TRACTATUS

De Romano Pontifice.
De Processione Spiritus Sancti à Filio.
De Verbi Divini Incarnatione.
De Animabus separatis.
De Traductione Animarum, earumque per Peccatum corruptione.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. MDCCXXXVI.
SUPERIORUM PERMISSU.



Studioſo Lectori.



Rodiit Annis elapſis opus quoddam Tomis duobus in Folio contentum, cui Titulus erat: Manuale Miſſionarionariorum Orientalium, *Venetiis Typis Balleonianis excuſum, Authore A. R. P. F. Carolo Franciſco a Breno Strictioris Obſervantiæ S.P. Franciſci Theologo. Prior Controverſias inter Eccleſiam Orientalem, & Occidentalem verſantes continebat, atque ad normam Eccleſiæ Catholicæ Romanæ firmiter tueri nitebatur: Secundus verò, ne-*

dùm Instructionem tradebat, quibus qualitatibus ii, qui Missionibus Apostolicis vacare contendunt, præditi esse debent; quo pacto in regendis eisdem se gerere eos oporteat; quibus moribus deceat effulgere; quænam sit Methodus docendi Conversos, atque cum Hæreticis, & Infidelibus disserendi: Verùm etiam quonam pacto Sacræ Missiones conservari possint incolumes; imò ad Dei gloriam, Fideique Orthodoxę augmentum, ulteriùs dilatari. Insuper plurium Casuum Conscientiæ, qui plerumque inter Ethnicos, Hæreticosque laborantibus Ecclesiæ Ministris contingere solent, resolutio ministrabatur exactè perpensa. Opus itaque hujusmodi Orbi Literario haud displicuit, veluti Ministris Apostolicis utile futurum. At quoniam duorum Voluminum mole impressum usui quotidiano esse posse difficile videbatur, ipsum in Epitomen reducere visum est necessarium, atque

in

in præsenti executioni mandatum. In hoc igitur Operis Compendio minùs necessaria tolluntur, iis tantummodò relictis, quæ substantiam ipsam rerum dicendarum concernunt. Ordo, ac dispositio paulisper, sed modicè immutatur, ut brevitati, ac claritati majori consulatur. Quoniam autem adhuc sic contractum duobus tantum Tomulis comprehendere haud commodum, Studiosis, & maximè Missionariis videbatur, idcircò totum Epitome in quatuor dividere Partes Peritis fuit consultum; hoc enim pacto quicquid libet a Lectore brevi tempore lustratur, nec Libri molem manus sustinent. Indicem quoque Tractatuum, & Controversiarum in fine cujuslibet Partis invenies. Si quid denique bonum in hoc opere abbreviato deprehenderis, eo ad Dei gloriam fruere, Cui quodlibet bonum profectò tribuendum est: Si verò quidquam occurrerit, quod minùs placet, aut a recto veritatis tramite

defle-

deflectit, vel corrige, vel contemne, vel Epitomes Authori benignè remitte, dum quidquid scribit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni humiliter subjicit.



Facul-

Facultas Reverendiſſimi Patris Vice-Commiſſarii Generalis.

F. JOANNES
A PETRAFITTA

Lector emeritus, Ord. Min. diſcretus perpetuus, ac totius Ciſmotanæ Reformatæ Familiæ Vice-Commiſſarius Generalis, & Servus.

CUm juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones de mandato noſtro idonei Cenſores Opus quoddam (cui Titulus eſt - *Epitome Manualis Miſſionariorum Apoſtolicorum*, olim a R. P. Carolo Franciſco a Breno Ord. Noſtri Theologo compoſiti; nunc verò in compendium redacti, & in Quatuor Partes diſtributi) recognoverint, illudque ab ipſis reviſum, & approbatum fuerit: Nos præſentium tenore facultatem impertimur, quatenus, ſervatis ſervandis, idipſum Typis mandari poſſit, & valeat.

Da-

Datum Romæ in Nostro Conventu Sancti Francisci ad Ripam die 4. Martii MDCCXXXVI.

F. Joannes a Petrafitta Vice-Comm. Generalis.

De mandato suæ P. Rm̃æ
F. Franciscus Antonius a Cirignola Secretarius Generalis.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo P. Mag. S. Palat. Apost.

N. Episc. Bojanen. Vicesg.

JESUS ✠ MARIA.

OBtemperando Mandatis Reverendissimi P. Joannis Benedicti Zuanelli Sac. Palatii Apostolici Magistri, vidi Opus inscriptum: *Epitome Manualis Missionariorum Orientalium*, olim a R. P. Carolo Francisco a Breno Min. Reformato S. Francisci compositi; nunc verò in compendium redacti, & in Quatuor Partes divisi; & cùm Operi, multis titulis, communique plausu receptissimo, in omnibus respondeat; nihilque contra Fidem, ac bonos mores habeat; idcircò publicâ Luce dignum judico.

Romæ in Collegio S. Pancratii die 31. Martii MDCCXXXVI

F. Romualdus a S. Juliano Carm. Disc. S. Th., & Scripturæ Lector ac S. Rituum Consultor.

IM-

IMPRIMATUR:

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ord. Prædicat. Sac. Palat. Apostolici Magister.

EPI-

EPITOME MANUALIS MISSIONARIORUM ORIENTALIUM.

PARS PRIMA.



UM Apoſtolici Miſſionarii Ordinis Noſtri, pro quorum inſtructione laboramus, opus aliquod ad manum habere cupiant, in quo, quidquid prò exſcindendis Eccleſiæ Orientalis erroribus, quibus potiſſimum eradicandis incumbunt aliquo pacto facere videtur, brevi quidem quantum fieri licet, Opuſculo, dilucide tamen, & perſpicuè comprehenſum legatur: idcircò piæ huic intentioni annuentes, errorum omnium, ac hæreſum, quæ in Eccleſia Orientali dominantur, confutationem, ſtrictiori, quantum licuerit, ſtylo conabimur hoc primo Opuſculo complecti; quod quidem in Tractatus, hos in Capita, hæc in Sectiones congruè dividemus.

TRACTATUS PRIMUS

De Romano Pontifice.

1. QUoniam omnium Hæreticorum, & Schiſmaticorum ſcopus eſt Romani Pontificis Primatum in Eccleſia Univerſali funditus evertere, Miniſtri munus eſt

Orthodoxi, illum à fundamentis stabilire, atque adversus Obtrectatores omnes robustè, quantum Deus dederit, tueri.

CAPUT PRIMUM

An Unicum in Ecclesia Dei Caput visibile sit admittendum.

2. Regimen aliquod in Dei Ecclesia admitti oportere, ipsimet Heterodoxi palam confitentur Orientales; optime enim animadvertunt, Ecclesiam esse veluti Castrorum aciem ordinatam: sed de modo regiminis oritur disceptatio, an unum dumtaxat Caput more monarchico omnibus imperans sit admittendum, vel plura suprema, quæ authoritate polleant æquali? Per caput autem visibile nihil aliud intelligimus, quam Principem, ac Moderatorem supremum, Pastorem summum, ac Doctorem Doctorum, qui non minus doctrina infallibili quam suprema authoritate in Ecclesia Universali Primatum exerceat. Hæretici Orientales nolunt hunc supremum Magistratum admittere, sed in pluribus Patriarchis distribuunt, ut Dioscorus, Photius, Michael Cærularius, & alii diuturnæ Orientalis ab Universali Ecclesia defectionis Proceres mordicùs tenent. Videndum est nunc, an reipsa ratione ulla nitantur?

SECTIO PRIMA

In Ecclesia Dei Unicum Caput visibile, ac supremum statuendum est.

3. Evincitur autem hoc pacto: Nam in veteri Testamento dabatur supremus Synagogæ Pontifex, qui omnibus Israelitis, in

iis, quæ Religionem tangebant, præerat, & cui sub pœna mortis obtemperare tenebantur: Exod. 28. & 29. Levit. 21. & alibi passim; ergò multò fortiùs Ecclesia Christi, quæ Synagoga longè perfectior est, uti figuratum figurâ, summum unum Pontificem habere debet, qui sacris præsit, illaque suprema Dominatione gubernet.

4. Ostenditur quoque idipsum ex Institutione: Hæc Ecclesia eadem est ab exordio sui, usque ad consummationem sæculi duratura: neque hoc Adversarii in controversiam vocant: non esset autem eadem, nisi unicum esset supremum Ecclesiæ Caput; igitur unicum est: Probatur minor: Identitas alicujus Regni, aut Imperii à regimine desumitur, quo variato, Regnum quoque, & Imperium dicitur alietatem inducere, ut in omnibus Politiis, & Imperiis animadvertimus: sed Christus è Cœlo descendens Ecclesiam suam fundavit, & rexit exteriori regimine, usque ad Ascensionem in Cœlum; post vero Ascensionem loco sui Petrum reliquit; ergò si nunc plures, ut suprema Capita Ecclesiam administrarent, non eadem esset Ecclesia cum illa, quam Christus fundavit, & Sanguine suo sacravit.

5. Supremum aliquod in Ecclesia Dei Tribunal admittendum est quo de Fide controversiæ ultima decisione dirimantur, lites exortæ inter Pastores inferiores aut decidantur, aut compescantur, leges regimini utiles, & necessariæ ferantur, & criminosi debita animadversione mulctentur: hoc autem fieri nequit, nisi unus supremus Rector in Ecclesia admittatur: plures enim inter se de authoritate, & doctrina tradita digladiantur; Si verò ipsi delinquant, à nemine possunt coerceri, & unusquisque in sensu suo abundat.

 6. Ne-

6. Neque hujusmodi incommoda per Synodos Generales evitari possunt; in ipsa enim coactione Synodi, in doctrina proponenda, in ea diffinienda Populisque tradenda magnoperè inter se dissidere possunt, itaut nullum controversiis finem imponant. Hoc visum est in pluribus Conciliis etiam Oecumenicis, quibus suprema Romani Pontificis authoritas deerat, in iis enim non veritas catholica, non Ecclesiastica unitas visa est, aut controversiæ extinctæ; Sed potiùs serventiùs excitatæ. Fides Ortodoxa pessundata, impietasque promota, atque triumphans, ut in plerisque Arianorum Synodis, & præcipuè Ariminen., in quo, teste Hieronymo, Orbis terrarum se Arianum esse miratus est, in Ephes. 2. in Mediolan. & aliis quampluribus apparet; ergo ad hujusmodi incommoda effugienda unicum caput visibile in Dei Ecclesia admittendum est, eo modo, quo unum tantum Episcopum in una Diœcesi, Archiepiscopum in una Provincia, & Patriarcham in suo respectivè Patriarchatu admitti oportere, omnes fatentur.

7. Utique Deus potuisset Ecclesiam per modum Reipublicæ, aut Democraticè, aut Aristocraticè regendam instituere, ipsique infallibilem Spiritum suum, quo sanctè regeretur, præbere: at quia fortiter simul, & suaviter in operibus suis agere solet, pro suæ Ecclesiæ administratione Monarchiam Aristocratiæ, aut Democratiæ prætulit, veluti eidem utiliorem. Et revera, Patriarchas supremos, nullo admisso eisdem superiore, Ecclesiæ noxios extitisse, Hæresiarchæ plures, ut Nestorius, Macarius, Cyrus, Dioscorus, à quibus Ecclesia hæresibus, erroribusque lacerata est, satis apertè comprobarunt. Neque id, quod potuit præstare Deus, sed quod revera præstitit,

juxta

juxta infallibilem simul, ac suavissimam ejusdem providentiam, inspicere debemus.

SECTIO SECUNDA

Solvuntur objecta.

8. OBjicies: I. Hujusmodi Primatus evertit Ecclesiasticam Hierarchiam à Christo institutam; eo quia data hujusmodi suprema Potestate, potest omnia invertere, ac pervertere, deponere Episcopos, novas Leges condere, novos ritus instituere, auferre votum decisivum Episcoporum in Conciliis, & alia similia efficere, quæ recto regimini, & traditioni Ecclesiæ videntur adversari.

9. Resp. negatur antecedens, ad cujus probationem negatur antecedens: Quamvis enim possit supremum Ecclesiæ Caput novas Leges condere, novosque ritus instituere, atque Episcopos deponere; non tamen efficere potest ex mero arbitrio, sed justa de causa, & ratione dictante, ac prout Ecclesiæ prodesse intellexerit, quod quidem omni supremo Principi scimus commune. Episcopos, ipsorum quidem criminibus ita postulantibus, jurisdictione potest exuere non autem Ordinis potestate, semper inconcussa manente, utpote à Christo tradita. Ob eamdem rationem Episcopos quosdam suffragio spoliare valet in Oecumenicis Conciliis: at justa requiritur causa. Et revera Præsules Orientales, etsi supremam Romani Pontificis authoritatem in Synodis Oecumenicis agnoscerent, numquam tamen se doluerunt suffragio destitutos, nisi fortasse crimina eorum hæresis, aut vitæ idipsum mererentur, uti de facto in Calcedonensi factum est, in quo Dio-

ſcorus ob ſua ſcelera ſuffragari minimè fuit permiſſus. Poteſtas verò Capitis ſupremi non tollit ſuffragium à Senatore, quin ab eo, ut placuerit, ferri poſſit; ſed ponit tantummodò ſubordinationem, ut ſi Concilium debeat eſſe legitimum, ejuſque deciſiones ſuſtineri, votum Epiſcoporum cum ſupremi Paſtoris mente convenire oportet.

10. Objicies: II. Dominium unius ſuper univerſum Orbem eſt nedum difficile, ſed impoſſibile, & faciliùs plures ſe rectè gerunt, ſivè imprudenter gubernando, ſivè in rectè agendo, quam unus; ergò regimen unius ſuper univerſam Eccleſiam non eſt admittendum.

11. Reſp. Quoad primam partem, regimen unius non eſſe impoſſibile, ſtante Divina directione: benè verò ſi viribus naturalibus nitatur; Caput autem Eccleſiæ non virtute propria, ſed Divina exercet imperium.

12. Falſa quoque videtur ſecunda pars antecedentis: Nam facilius unus tantum à peccatis abſtinet, tàm voluntatis, quam intellectus, quam plures; maximè quia Divina ope ſuſtinetur, qua fit, ut non ita facile in errores prolabatur. Caput autem Eccleſiæ non ſua naturali nititur virtute, ſed Omnipotentis, qui ejuſdem miniſterio regit Eccleſiam. Nec vigilantia ſupremi Paſtoris ad omnia immediatè extenditur, ſed mediatè, quatenus vigilat ſuper Paſtores inferiores, ut munere ſuo rectè fungantur: quod quidem omni Principi, & Magiſtratui ſupremo commune videmus.

13. Objicies: III. Quemadmodum ſeditiones in Republica ſunt maxima mala, ita Tyrannis in ſupremo Principe: ſed ob primam rationem eſt abſurda plurium Dominatio ſuprema; ergò eſt abſurda Dominatio unius

ſupre-

supremi, quà à nemine peccàns in se, vel in Reipublicam valet in ordinem redigi, &, ne ulteriùs delinquant, coerceri.

14. Resp. Ad hoc, quod erat Arianorum argumentum, negatur antecedens; ex æqualitate enim plurimorum supremorum Dominantium Schismata, hæreses, & seditiones semper in Dei Ecclesia natæ sunt, & ex natura sua nascuntur, pejoraque mala sunt, quam Tyrannis: illa enim tollunt unitatem Fidei, quæ est anima Ecclesiæ non item Tyrannis, consistens solummodò in excessu Dominationis, nec semper sequitur illam, imò multoties separatur; attamen si alterutrum esset eligendum, Tyrannis potiùs esset toleranda, quam hæresis, seditio, aut schisma in Dei Ecclesia: nam Tyrannis Fidei non opponitur, benè verò hæresis, ac schisma, & seditio.

15. Quod verò Supremus Jerarcha delinquens juridicè à nemine possit coerceri, hoc supremo omni Principi est commune. Cæterum, quantum ad Fidem pertinet, eum adversus illam peccare male credendo non posse, probabilissimum est, nec male docendo certissimum: Si tamen malè sentiret, & hæresim doceret, ex semetipso à supremo Magistratu excideret, cum ad hoc sit institutus, ut confirmet alios in Fide. Si verò Tyrannidem exerceret, non desunt modi, illum obsequenter admonendi, aut si protervire velit ejusdem violentiam declinandi, quos dant Doctores, ut Bellar. de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 29. Turrecremat. lib. 2. cap. 10. Sum. Eccl., quin juridicè conveniatur.

16. Objicies: IV. Non est de conceptu Ecclesiæ unicum tantum habere Caput: ergò &c. Consequentia patet, Probatur antecedens:

 Nam

Nam Ecclesia in statu Legis non scriptæ habebat tot capita, quot erant Familiarum Primogeniti; in statu verò Legis scriptæ duo habebat, nempè Pontificem Synagogæ, & Pastores Gentilitatis, quæ placebat Deo, nec tamen ad Leges Synagogæ tenebatur; ergò tunc plura Capita vigebant.

17. Resp. Nego antecedens, ad cujus probationem dico unum tantum Primogenitum Familiæ Principalis ab Adam, usque ad Noe, atque ab ipso usque ad Abraham, & ita successivè fuisse Caput in materia Religionis, à quo negotia omnia Sacra dirigebantur: attamen si plura fuissent, nihil officeret; diceretur enim, quod sicuti tunc Ecclesia in suis primordiis non erat ita perfectè condita, sicuti nunc, sed veluti in embrione concepta, ita membra quoque non statim apparuerunt omnia, sicut nunc: Cum verò tempore Synagogæ melior adhuc effecta est, Caput unicum apparere cæpit, sed imperfectum, nempe Pontifex, carnali tamen erumpens successione: coruscante tandem Evangelio, atque stabilita jam Ecclesia Caput habere cæpit integrum; & perfectum, electione, non propagatione carnali inductum; nempe Romanum Pontificem Petri, qui Christi locum tenebat, legitimum Successorem, Gentiles verò rectè credentes, vel proprium habebant, imperfectum tamen, & mutilum, vel Hæbreis unus Pontifex præerat, curam gerens omnium in materia Religionis, uti nunc Pontifex Ecclesiasticis, & Sæcularibus imperat in materia Religionis, nec propterea Christus, & Pontifex sunt duo Capita, sed unum dumtaxat visibile, invisibili Capiti Christo subordinatum.

CAPUT II.

Utrum Divus Petrus in Ecclesia Dei Primatum habuerit?

18. CHristus Dominus Ecclesiam suam instituens, aliquam regiminis formam, qua sapienter regeretur, in Apostolis stabilivit, unumque, voluit esse Caput supremum: inquiritur nunc, utrum supremum Magistratum hunc in eisdem divisim, aut simul, vel potiùs in uno Divo Petro erexerit; itaut ipse, nedum super omnes Fideles, sed etiam super ipsosmet Apostolos prerogativa Capitis gauderet?

SECTIO PRIMA

Dicendum est D. Petrum super Universalem Ecclesiam à Christo Domino ita Primatum accepisse, ut nedum omnium Fidelium, sed etiam ipsorum Apostolorum omnium revera Caput existeret.

19. PRobatur I. Ex Scripturis: Nam Christus Dominus D. Petro præ cæteris Apostolis Primatum pollicitus est, Matth. 16. 18. in premium præclaræ ejusdem Confessionis, cum ante omnes Apostolos eum confessus esset Filium Dei vivi perspicuis illis verbis: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prevalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quæcunque ligaveris super terram erunt ligata & in Cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in Cœlis,* Ex quibus verbis clarissimis promissivis habetur. I. Divum Petrum, qui præ cæteris Apo-

 stolis

ſtolis primùm ejuſdem præbuit confeſſionem; Eccleſiæ fundamentum eſſe futurum. II. Eum præ ceteris quoque Apoſtolis habiturum ligandi, atque ſolvendi ampliſſimam poteſtatem: hæc autem eſt promiſſio ſupremæ Poteſtatis etiam ſuper ipſoſmet Apoſtolos; quid enim aliud ſignificat eſſe fundamentum Eccleſiæ, atque pleniſſima pollere authoritate ligandi, atque ſolvendi cum prædiſtinctione ab aliis Apoſtolis, niſi Primatum, & Supremum Paſtoratum ſuper omnes, eo pacto, quo propriiſſimè Rex Regni, & Imperator Imperii ſui dicitur fundamentum? Hinc Sanctus Hilarius in Matth. cap. 16. *O' in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ Inferni Leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret. O' Beatus Cœli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium prejudicata authoritas ſit in Cœlo, ut quæ in terris ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in Cœlo.*

20. Verbis promiſſivis Matth. 16. 18. reſpondent verba inſtitutiva Joan. 21. 17., ubi cum Chriſtus Dominus à Petro ſciſcitatus ter fuiſſet, an ipſum amaret præ ceteris Apoſtolis, qui præſentes aderant, ipſe verò reſpondiſſet: *Etiam Domine: tu ſcis, quia amo te*, ipſe quoque ter reſpondit: *Paſce oves meas: paſce agnos meos*; paſtura autem ſignificat Magiſtratum, hinc Pſal. 77. 70. de Rege David dicitur ad ſolium Iſraeliticum evecto: *Elegit David ſervum ſuum, ſuſtulit eum de Gregibus ovium, paſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam*; Igitur ſi Petrus fuit Præfectus ſuper omnes oves Chriſti, cujuſmodi profectò ſunt Apoſtoli, qui tunc erant præſentes, etiam

ſuper

ſuper ipſoſmet Apoſtolos Primatum obtinuit; quod verò Chriſtus non dixerit *omnes oves*, ſed indefinitè fuerit locutus, parum officit: nam dicendo, expreſſit omnes eo modo, quo de Prædeſtinatis dixit Chriſtus Joan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam dò eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſque de manu mea*, quorum tamen neminem perire dicit hic Chriſtus, etſi non dicantur expreſsè omnes ſalvari; ergò D. Petro à Chriſto Domino Primatus collatus eſt, nedum ſuper omnes Fideles, verum etiam ſuper Apoſtolos ipſos.

SECTIO SECUNDA

Idipſum ex Patribus evincitur.

21. PAtres quoque, & quidem Orientales Doctiſſimi, ac Sanctiſſimi ſuffragantur huic veritati Baſilius Magnus lib. 2. cont. Eunom. *ſtatim ex hac voce Petra, intelligimus Petrum Jonæ filium, qui fuit ex Betſaida, Andreæ fratrem, qui expiſcatione ad Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt, qui, quoniam Fidem præbebat Eccleſiæ, commiſſam ſibi ædificationem ſuſcepit*. Epiph. in Ancor. *Dominus conſtituit Petrum Primum Apoſtolorum Petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt*. Greg. Nazian. Orat. de moderat. in Diſput. ſervanda: *Petrus Petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta Fidei ſuæ credita habet*. Cyril. Alexand. cap. 2. in Joan. *Nec Simon fore jam nomen illi, ſed Petrus prædicit vocabulo illo commodè ſignificans, quod in eo, tanquam in petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus*

rus Ecclesiam. Chrysos. Hom.2. de Pœnit. super Psal.50. ait de Petro, quod sit: *Columna illa Ecclesiæ, illa Fidei Basis, illud Apostolici Chori Caput*. Ephrem Syrus in Panop. sivè armat. Spirit. *Ea fretus Princeps Apostolici Ordinis Petrus, cum Filium Dei vivi Christum Jesum confessus esset, Claves Regni Cœlestis accepit, potestatemque Cœlestium, & terrenorum omnium obtinuit*. Hinc Prima Nicæna Synodus Can.39. inter translatos ex Arabico, cui magnam ab Orientalibus fidem præstari testatur Echellensis Syrus lib. de Primat. Rom. Pontif. hæc habet præ cæteris: *Hinc ille, qui tenet sedem Romæ, Caput est, & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est Primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes Populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini Nostri super cunctos Populos, & Universam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit à Synodo excommunicetur*.

SECTIO TERTIA

Idipsum ratione evincitur.

22. PRobatur Patriarchatus Alexandrinus, & Antiochenus, qui, ex Apostolica fundatione prodierunt, idcircò subsistunt, & eminentiam post Romanum præ cæteris habent, quia D. Petrus eos fundavit: nam Alexandriæ Episcopum Discipulum suum Marcum constituit. Antiochiæ verò Cathedram Episcopalem fundavit, quam ipsemet administravit aliquo tempore; & idcircò Dies ille ab Ecclesia festiva celebritate colitur, eo quod, ut ait August. serm.15. de Sanc. *Primus Apostolo-*

stolo-

stolorum Petrus hodie Episcopatus Cathedram suscepisse referatur; ergò Petrus Principatum, & Primatum super Apostolos quoque habuit, alioquin omnes sedes, nedum Patriarchales, verum etiam Episcopales ab Apostolis cæteris fundatæ, dicerentur æquales, quod sane falsum est.

23. Et profectò Christus Dominus in Evangelio D. Petrum futurum Ecclesiæ supremum visibilem Principem, sibi tamen subordinatum designavit, Ecclesiam visibili influxu directurum. I. Etenim fere semper Petrus, dum Apostolorum fit mentio in Evangeliis, Primatum nominis obtinet. II. Christus post resurrectionem primò Petro apparuit, deindè cæteris Apostolis, & pluribus aliis. 1. Cor. 15. 5. 6. 7. III. Christus non pro seipso, sed etiam pro Petro tantum, non autem pro aliis tributum solvit. Matth. 17. 26. IV. Ante omnes Apostolos, Petri pedes lavit. Joann. 13. 6. V. Soli Petro facta est prima revelatio Divinitatis Christi Matth. 16. 17. VI. Soli Petro promissa est stabilitas Fidei, & Cathedræ Mat. 16. 18. Luc. 22. 32. Aliis quoque signis ejusdem Primatum Christus in Ecclesia futurum ostendit; ergò revera eumdem obtinuit.

SECTIO QUARTA

Solvuntur Objectiones.

24. OBjicies I. Quod de D. Petro in Sacris Scripturis dicatur, cum pascere debere oves Christi, ligare, atque solvere, & esse fundamentum Ecclesiæ, non arguitur ejusdem Primatus, etiam super Apostolos; ergò non datur iste Primatus, nisi fortasse loci, & or-

& ordinis, ac Dignitatis inter æquales in potestate. Probatur antecedens: Nam etiam Apostoli cæteri dicuntur pascere, ligare, solvere, docere, ut Matth. 18. 16. Joan. 20. 23. Matth. ult., ad Cor. 4. ad Ephes. 4. 11., & alibi passim; ergò quod dicitur de D. Petro arguens Primatum, etiam de Apostolis cæteris enunciatur: Hinc S. Cyprianus de unit. Eccles. *Hoc erant utique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio præditi honoris, & potestatis.*

25. Resp. Nego antecedens, ad cujus probat. nego consequentiam. Nam loca Scripturæ asserentis, Apostolos ligare solvere, docere, pascere, non excludunt Petrum, & loquuntur de Apostolis comparativè ad oves sibi inferiores, quibus profectò simul cum Petro, ut Supremi Pastores præerant; in quibus quidem locis subordinatio ad Petrum nequaquam tollitur: in locis verò, ubi fit mentio de Petro, exprimitur ipsius Principatus nedum quoad oves, quas regere datum est Apostolis in communi, sed etiam super ipsosmet Apostolos; & ideò quando Apostoli ligabant, solvebant, pascebant, docebant, atque Sacramenta ministrabant, id faciebant cum subordinatione ad Petrum, non verò Petrus cum subordinatione ad Apostolos, qui dicuntur quidem Ecclesiæ fundamentum, sed non uti erat Petrus, qui propterea in Calced. Act. 3. Crepido Catholicæ Ecclesiæ appellatur, & ideò defunctis Apostolis amplissima illa Potestas in eisdem refulgens cessavit in Episcopis Successoribus, non tamen in Petro, ejusque Cathedræ Possessoribus: in illis enim erat delegata, in isto ordinaria.

26. Objicies II. Petrus numquam legitur hujusmodi Primatum exercuisse: ergò eum non

non habuit. Consequentia patet, cum de cæteris Apostolis legitur exercitium Apostolicæ Potestatis. Nam Act.6.5. crescente numero Fidelium eligunt septem Diaconos. Act. 14. 22., & Paulus Apostolus in Scripturis sæpè legitur objurgasse, increpasse Galatas, Corinthios, aliosque Populos, atque protervos Satanæ tradidisse in interitum carnis, ut spiritus salvi fierent. Antecedens autem perspicuum est. Nam in electione Matthiæ Act.1.16. in ordinatione Diaconorum Act. 6.5. in controversia de Circumcisione Act.15.34. nullum in Petro apparet signum Primatus. Omnia enim hæc communi Apostolorum omnium consilio fuerunt acta; ergò Petrus nullum legitur exercuisse Primatum.

27. Resp. I. Nego consequentiam: Ex negatione enim exercitii non arguitur semper negatio Potestatis, quæ tempore, loco, ac opportunitate cogente, in praxim deducenda est, sicuti etiam Christus ipse se gessit.

28. Resp. II. Nego antecedens, & consequentiam probationis. Nam ex eo, quia in Scripturis hujusmodi exercitium non habeatur, non deducitur ejusdem negatio, cum aliunde, nempe ex traditione constare possit, ex qua multa alia habemus, quæ Fide credimus, ut ipsimet Adversarii fatentur.

29. Cæterum à D. Petro exercitum Primatum in Scripturis elucet. Quid enim aliud significat damnatio ad mortem Ananiæ, & Zaphiræ, qui ex Patrimonii venditi, Apostolisque oblato pretio, partem aliquam subtraxerant pro se retentam Act.5.59. electio Mathiæ, in Apostolum, cujus subrogationem ipse imperat, & propterea Concilium indicit, ejusque agit Præsidem, primusque omnium loquitur Act.1.

Act.1. 16. Prima locutio ad Populum, quæ ab Apostolis prodierit Act.2. 14. Prædicatio prima Gentilibus facta ante omnes Apostolos, & quidem Deo revelante Act. 10. 34. Falsum est igitur à D. Petro nequaquam exercitum Primatum.

30. Quod verò Diaconos ex se solo noluerit creare, nec Legalium decidere controversiam, quid facit ad evertendum Primatum, cum in arbitrio Principis sit Ministros eligere, ac dirimere controversias, accito, vel non accito Senatu? Quem morem Successores Petri sunt imitati, negotia Ecclesiæ, aut convocatis Conciliis, aut ex semetipsis in Cœtu Cardinalium, vel pauciorum Episcoporum peragentes; propterea in Decreto decisivo Synodi Hierosolymitanæ nulla fit Petri mentio, eo quia in consortium decisionis omnes Apostoli fuere convocati, ut Ecclesiæ Universæ mens appareret, non tamen Petrus fuit exclusus; & ita fit in omnibus Generalibus Synodis antiquæ Ecclesiæ à quibus tamen Petrus, ut supremum Caput agnoscitur.

31. Objicies III. Apostoli numquam agnoverunt istum Primatum; ergò non datur. Probatur antecedens: Nam orta de Legalibus controversia, Paulus, & Barnabas eam non Petro, sed Apostolis omnibus detulerunt, qui eam decidere, non solus Petrus. Act.15. 2. 28. Item Paulus ad Gal.2. 9., asserit sibi à Petro datam dexteram societatis, quæ paritas non videtur stare cum Primatu; ergò &c.

32. Resp. Nego antecedens, ad cujus probationem nego consequentiam: Non enim, quia controversiæ ad plures deferuntur, excluditur Primatus unius ex ipsis, aliundè probatus: Sicut recursus ad Senatum non excludit

Re-

Regem ejusdem Caput, uti non excludebatur Pontifex ex eo, quia in veteri Testamento ad Senedrim, nempè Senatum Judæorum recurrebatur. Neque enim Christus Petro conferens Primatum cæteris Apostolis authoritatem abstulit: reliquit, sed Petro subordinatam.

33. Secundum solummodo probat, Paulum fuisse Petro æqualem in potestate quoad subditos, adeoque extraordinaria, non verò in comparatione quoad Petrum, Gregis ordinarium, & Universalem Pastorem: quod sanè Paulus cognovit, dum venit Jerosolimam ad Petrum invisendum, secumque Evangelium conferendum; Hinc Chrysostomus Hom. 87. in Joan. *Quia os*, inquit, *Apostolorum Petrus erat Princeps, & Vertex ipsius Cœtus, propterea Paulus ascendit eum videre præ aliis*; Ac proindè stat quoque optimè Divum Paulum accepisse à Deo Apostolatum, Doctrinamque infallibilem, qua Ecclesia instrueretur, & Evangelium Gentibus annunciandum, & nihilominus Petro subderetur, ut supremo ordinario Pastori.

34. Objicies IV. Act. 8. 14. Petrus permisit se mitti Samariam ab Apostolis, ut Spiritum Sanctum Baptizatis daret; idest eos Sacramento confirmationis muniret. Et ad Gal. 2. 14. passus est se reprehendi à Paulo publicè, ergò non habuit Primatum, qui non stat cum missione, & cùm publica reprehensione palam inflicta.

35. Resp. Nego consequentiam; Nam missio authoritativa, & reprehensio judicialis tollunt Primatum, non verò missio consiliativa, & ultronea, qua Christus quoque missus est in Mundum Isaiæ 6. 8., ac reprehensio fraterna, etsi publica sit, qualis fuit illa Pauli,

li, cum Apostoli pares in Potestate Apostolica inter se, quoad hoc æqualitatem haberent, & propterea authoritativè mitti non poterant Petrus, & Joannes. Petri autem suprema Potestas aliunde colligitur, nec infringitur reprehensione, qua subditi quoque zelo ducti secundum scientiam interdum Superiores objurgant, itaque in utroque casu præcipuè in reprehensione commendatur quidem in Petro humilitas, juxta Greg. Mag. *Ut, qui erat Primus in Apostolatus culmine, Primus esset in humilitate*; non tamen arguitur defectus jurisdictionis.

36. Objicies Ultimo! Apostoli Petrum elegerunt in Pastorem, ex Anac. Pap. Epist.2. ubi ait: *Cæteri Apostoli cum eo pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque Principem suum esse voluerunt*. Similia dicit Julius I. Epist.1.; ergò non ex Christi institutione Primatum habuit.

37. Resp. Nego antecedens! Decretalis verò Anacleti, & Julii debet intelligi approbativè, acceptativè, declarativè, non institutivè: Ecclesia verò Romana dicitur ab Apostolis Primatum habuisse, quia Petrus Romæ Episcopatum erexit, ipsumque morte sua, & quidem jubente Domino juxta Marcellum Primum, Successoribus reliquit. Hinc Anacletus Epist.3. *Sacrosancta*, inquit, *Romana Ecclesia non ab Apostolis, ab ipsomet Domino, & Salvatore nostro Primatum obtinuit, sicut B. Petro ait; Tu es Petrus &c.*



CA-

CAPUT III.

Vtrum Romanus Pontifex Petro succedat in hucusque declarato super Vniversalem Ecclesiam Primatu?

38. HIc est cardo difficultatis, an reverà Romanus Episcopus in hujusmodi amplissima Potestate Petro succedat? Putant enim Orientales Sectarii, Romanum Pontificem hujusmodi præeminentiam, non ex Petri successione, sed ex Conciliorum authoritate, ex Imperatorum munificentia, ex Urbis amplitudine, ac conniventia Præsulum ortum habuisse; & propterea non authoritate majori, sed loci tantum, ac nominis majestate cæteros Antistites antecellere, ut præ cæteris Nilus Tessalonicensis Archiepiscopus in lib.de Prim. Pap. acerrimè propugnat. Videndum est ergò, an Romanus Pontifex D. Petro succedat in universali isto super Ecclesiam Universalem Primatum. Ut autem res melius intelligatur.

SECTIO PRIMA

Nonnulla prænotantur.

39. NOtandum est I. Non esse idem successionem, & jus succedendi. Successio nihil aliud est, quam subrogatio unius in locum alterius, quem supponimus in sui exordio institutum; ita defuncto, aut deposito unius Urbis Episcopo, ille, qui creatur, atque in Throno collocatur, alteri succedere dicitur. Jus verò successionis est illa ratio, ob quam unus alteri succedit, nempè per electionem,

nem, vel per carnalem generationem, juxta variam regiminum formam, aut Monarchicam, aut Ariscroticam, sive alterius generis. In præsenti non est quæstio, quo jure Romanus Pontifex Petro succedat, hac enim de re variæ sunt, etiam inter ipsosmet Catholicos, opiniones. Sed an Romanus Episcopus, quocunque tandem jure fiat, Petro succedat, non tantum in Romano Episcopatu, sed etiam in regimine totius Ecclesiæ ac dignitate Summi Pontificatus, universalisque Fidelium omnium Pastoris.

40. Notandum II. Parum referre nobis, scire quomodo eligatur Summus Pontifex, dummodò id fiat per legitimam electionem; quæ temporibus elapsis varia fuit: nunc autem ad solos Cardinales Ecclesiæ Romanæ, ex Alex. III. Greg. X. aliorumque Pontificum Constitutionibus redacta est, qui quidem dignitatem non tribuunt, sed designant solummodò Personam, cui ex antiqua Christi institutione, qua supremum hunc Magistratum erexit, Pontificatus confertur, eo pacto, quo Anima infunditur à Deo, corpus organicum natura ministrante, & Ordines Sacri conferuntur, & cæteri Sacramentorum effectus, quibus Minister instrumentalem suem solummodò operam exibet. His præmissis,

SECTIO SECUNDA

Dicendum est cum Catholica Christi Ecclesia; Romanum Pontificem Petro succedere nedum in Romano Episcopatu, verum etiam in Ecclesiæ Universalis Præfectura.

41. Probatur I. Ex Conciliis negative; quod arguendi genus in possessore robustis-

bustissimum est! Nam cùm Orientales sint Actores, & afferant hujusmodi Principatum Romani Pontificis à Synodis Generalibus ortum habuisse, ostendere debent, in quonam id acciderit, cum nos oppositum convincamus.

42. II. Positivè sic: Omnia Concilia Generalia Orientalia (de Occidentalibus nulla est difficultas) ex Romani Pontificis mandato, *vel saltem assensu collecta sunt*, ut patet ex Tractoriis, Petitoriis, Enciclicis Imperatorum præcepta Romani Pontificis exequi profitentibus, extantque in Tomis Conciliorum per extensum.

43. III. Patres Conciliorum petunt à Romano Pontifice confirmationem Actorum veluti eorum fundamentum, ut patet ex ipsismet Actis, & vocant se Filios, Discipulos, ac membra Romani Pontificis, ipsum verò Caput, Magistrum, Doctorem, Patremque appellant, ut patet ex Epist. eorumdem ad S. Leonem Papam. In acclamationibus quoque Epistolæ S. Leonis ad Flavian: habetur: *Petrus per Leonem locutus est*, & Sedes Romana dicitur, *Crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ Fidei fundamentum*. Eadem dicuntur à Synodo 6. Oecumenica in Epist. ad Agat. Conciliarium Actorum confirmationis postulativa, & à Synodo 8. Can.21. Sedes Romana, Sedes Petri appellatur; non ergò Sedes Romana authoritatem suam à Conciliis accepit, sed quia Petri Sedes est, & Romanus Pontifex est Petri successor legitimus. Ipsimet Græci, & Orientales in Concil. Florent. hanc veritatem confessi sunt unanimi consensu in hujusmodi diffinitionem, & quidem spontè atque à nemine coacti conspirantes. *Item definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in*

Uni-

Universam Orbem habere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum, Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam à Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur; ergò Primatus etiam ex confessione Græcorum Romano competit Pontifici non præcisè ex authoritate Conciliorum, sed quia Petri Successor existit.

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Patribus evincitur.

44. PAtres quoque Primitivæ Ecclesiæ, & quidem Orientales in idipsum conspirant. Irenæus lib. 3. de hæres. Cap. 3. de Romana Ecclesia sermonem faciens: *Ad hanc Ecclesiam*, inquit, *propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est omnes, qui sunt undique, Christianos*. Quid clarius? Cum hoc ipsi ratione Summi Pontificis competat? Basil. Mag. ab Hæreticis lacessitus Epist. 52. ad Athan. ita scribit. *Visum est consentaneum scribere ad Romanum Episcopum, ut videat res nostras, & judicii sui Decreta interponat, ut quia difficile est indè aliquos è sententia Concilii mitti, ipse authoritatem rei tribuat dilectis viris &c.* Agnoscit ergò Basilius in Romano Pontifice supremam etiam super Orientales authoritatem, qua refractarii possent compesci. Athanas. Epist.

ad Fælic. Pap., quæ licet ab aliquibus in controversiam vocetur, antiquissima tamen est, ut fatetur etiam cum aliis Nilus de Primat. Papæ cap. 8. *Ob id vos Prædecessoresque vestros Apostolicos Viros, & Præsules in summo constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere, præcepit, ut nobis succurratur*. Cyril. Alexand. acerrimus ille Dominicæ Incarnationis Propugnator apud Colofs. in Floren. Synod. Sefs.7., & Beffar. Epift.1. ad Philan. *Oportet nos, tamquam membra caput sequi: hoc est Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem, à qua debemus petere, quid credere, & sentire debemus, quia ipsius tantum est confutare, dirigere, redarguere, confirmare, ordinare, solvere, & ligare*. Quæ verba Cyrilli in lib. ejusdem thesauri revera inveniri, sapientissimi Græcorum fatentur, ut Nicephorus Patriarcha Sanctissimus Orat.3. pro Imag. Antonius Cauleas. Sanctimonia pariter clarus Epist. ad Papam Romanum Nicolaus Myst. Epist. ad Rom. Pontificem, Niceph.Blem.Orat. de Verit., Joan. Veccus Orat.3. contra Cyprium, & alii recensiti à Papadop. Respon.6. Sec.2., Prænot. Mystag. eadem Theodoretus eructat, Episcopus ille Doctrina, ærumnisque celeberrimus Epist. ad Leonem Mag., ad Renat. Presbyt. Rom. Ecclesiæ. Nazian. in Carm. de vita sua. Chrisost. Epist. ad Innoc. I., Maximus Mart. Invictissimus apud Gennad. in Defen. Cap.5. Sec.8., & Anastas. Biblioth. in vita S. Martini Papæ. German. Patriar. Sanctitate illustris Epist. ad Greg. II., & alii plures ex Græcis Patribus apud eumdem Papadop. loco citato.

SE-

SECTIO QUARTA

Idipsum ratione evincitur.

45. PEtro in Pastorem Universalem Ecclesiæ à Christo Domino instituto, aliquis utique succedere debet pro tempore, qui ejusdem Ecclesiæ curam gerat, & loco ipsius Petri regat usque ad consummationem Sæculi. Neque enim credendum est hujusmodi Magistratum in utilitatem solius Petri, non autem Fidelium omnium, qui successivè prodiissent, à Christo fuisse institutum, cum longè major pro Fidelibus usque ad Sæculi finem supremi Rectoris urgeret necessitas, quam pro illis, qui, vivente Petro Christianæ Religioni nomen darent, vigente adhuc in Hominum memoria Christi Redemptoris morte, atque sævissima passione: at Petro in hujusmodi Supremo Magistratu, nullus ex Episcopis, præter Romanum succedere jure potest, non quidem Antiochenus, cum non Antiochiæ, sed Romæ Sedem suam fixit, ibique tandem est defunctus: non Alexandrinus, cujus cathedram Discipulus tantum Petri, Marcus nimirum, occupavit: non Constantinopolitanus, qui nimium recens est nulloque Apostolo, vel Apostolico viro succedens, sed potiùs olim Heracleæ sedi subjectus: non Jerosolymitanus, cujus Episcopatus à Jacobo tantum Apostolo fuit fundatus, ibi primùm sedente, ac Cesareæ priùs Metropolitæ subjectus ex Hierony. Epist.61. adversus errores Joannis Jerosoly. ergò solus Episcopus Romanus, cum Petro in Romana Cathedra succedat, eidem quoque succedit in supremo Pontificatu universalis Ecclesiæ.

46. Hac ratione, nisi Orientales convin-

can-

cantur, neque Patriarchas suos, aut Episcopos, aut Imperatores esse legitimos ulla ratione ostendent: Si enim ab ipsis inquiratur, cur legitimè Patriarcha Alexandrinus, aut Antiochenus, aut Constantinopolitanus in solio suo sedeat? Unde Justinianus Primus Imperii sui Fasces extraxerit? Respondebunt utique, non alia ratione id contingere, nisi quia sufficiuntur in locum defuncti eadem dignitate fulgentis, & sic successivè usque ad Primum Antistitem, aut Imperatorem, à quo Cathedra illius sumpsit exordium; ergò si ex successione eorum, qui in loco Defuncti Romani Episcopi collocantur, non deducitur, viventem Romanum Episcopum sedere, ac tenere locum Petri, neque deducetur, viventem Patriarcham Alexandrinum aut Atiochenum, aut Constantinopolitanum, aut Imperatorem tenere locum illius, à quo Patriarchatus Alexandrinus, aut Antiochenus, aut Constantinopolitanus, aut Imperator hodiernus originem duxit, quod sanè stultissimum est; hoc enim pacto successio legitima Episcoporum tolleretur, & origo veræ Ecclesiæ, quæ in successione legitima Pastorum fundatur, cujus defectum Hæreticis exprobat Tertullianus lib. de Præscrip. ait enim: *Edant Hæretici originem Ecclesiarum suarum, evolvant ordines Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit Authorem, & Successorem:* Adeoque cum Romanus Episcopus in locum Petri Supremum Ecclesiæ Magistratum gerentis succedat, nedum in mero Romano Episcopatu succedit, verum etiam in supremo Ecclesiæ Pastoratu.

47. Hoc fundamentum innixi vetustissimi Romani Pontifices non minus doctrina, quam Sanctitate celebres, seipsos Universales Ecclesiæ Præsules, & Ecclesiam Romanam omnium Matrem, Principem, & Magistram, etiam ante exortum schisma, appellare minimè dubitarunt, ut Siricius epist. ad Himer., Innoc. I. Epist. 22. ad Episc. Maced., Leo I. Epist. 84. ad Anastas. Episcop. Tessalonic., Greg. Mag. lib. 7. Epist. 63., plurесque alii, maximè ex iis, qui primo, secundo, ac tertio sæculo floruerunt, quos plena manu cumulat Bellar. tom. 1. controver. lib. 2. Etsi autem Epistolæ Romanorum Pontificum ante Siricium in controversiam à nonnullis vocentur, eas tamen alii eruditi Viri sustinent uti genuinas, neque omnes corruptæ, aut commentitiæ censentur.

48. Minimè quoque timuerunt Romani Pontifices, etiam antiquissimi, & primorum sæculorum, eadem ratione suffulti, amplissimam etiam in Episcopos, & præcipuarum sedium Patriarchas Orientales jurisdictionem exercere, nemine reclamante. Sic Victor Primus Firmilianum, aliosque Asiaticos Præsules in celebratione Paschæ aberrantes compressit. Damasus I. Flavianum Antiochenum Patriarcham loco movit. Julius I. Athanasio ab Arianis expulso Thronum Alexandrinum restituit. Sixtus III. Policronium Jerosolymorum Antistitem à sede dejecit. Cælestinus I. Nestorium Constantinopolitanum Patriarcham prava Dogmata spargentem sede nudavit. Leo I. Maximum Antiochenum in Urbis illius sede constituit, Dioscorum verò Ecclesiæ Dei rebellem, atque insultantem à Throno Alexandrino deturba-

turbavit. Agapetus Antimum regiæ Urbis Antistitem hæresi pollutum Euthichiana, Constantinopolitano solio nudavit, Mennamque in eadem dignitate suffecit. Legatur circa hoc Epistola Nicolai I. ad Michaelem, ubi Dogma hujusmodi demonstratur.

49. Ex hac eminenti potestate appellationum usus, quibus ad Romanum Pontificem, veluti supremum Ecclesiæ Tribunal, semper ab ipsiusmet Ecclesiæ primordiis provocatum est, neque unquam in controversiam appellatio vocata; quod sanè indicat supremum Ecclesiæ Magistratum. Propterea Marcion ab Episcopo suo excommunicatus, cum ejusdem absolutionem, etsi pœnitens obtinere non posset, ad Anicetum Pontificem accessit, reatus sui petiit absolutionem, & impetravit, ex Epiphan. hæres.42. Athanasius ab Arianis lacessitus ad Julium Romanum Pontificem inimicos suos provocavit, & redditus sedi suæ ex ipso Athanas. Apol. 2. de fuga sua. Joannes Talaida Alexandrinus Patriarcha vexatus ab Hostibus suis ad Romanum Pontificem appellat, Romam venit, & absolvitur ex Liberat. in Breviar. cap.17., & 18. Flavianus Constantinopolitanus Antistes in Ephesina Latrocinali Synodo oppressus Romanum implorat Tribunal, atque ad S. Leonem Papam appellat ex Actis Ephes. 2. Joannes Chrysostomus à Theophilo Alexandrino, aliisque Orientalibus Episcopis in Synodo congregatis, vexatus, atque Patriarchatu nudatus ad Innocentium Primum Romanum Pontificem appellatione hostes suos provocavit, ex literis ejusdem ad præfatum Pontificem datis, & restitutionis obtinuit Decretum. Ignatius ejusdem Regiæ Urbis Patriarcha Bardæ Cæ-

 saris,

ſaris, ac Michaelis Imperatoris violentia, Photiique fraudibus è Throno pulſus, ad Sedis Romanæ aſylum legitima confugit appellatione, ſuſtinetur, ac ſolio ſuo reſtituitur à Nicolao Primo ex Act. 3. Synodi octavæ General., & Epiſtola ejuſdem Nicolai ad Michaelem.

50. Hanc ſupremam Poteſtatem ex Apoſtolica D. Petri Apoſtoli ſucceſſione manantem Sardicenſe Concilium Oecumenicum, agnovit, dum Can. 3. ità ſtatuit: *Signis Epiſcoporum in aliquo negotio condemnandus viſus fuerit, & exiſtimet, ſe non malam, ſed bonam cauſam habere, ut etiam judicium renovetur, ſi veſtræ dilectioni videtur, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ab iis, qui judicaverint, ſcribatur Julio Romanorum Epiſcopo, & per propinquos Provinciæ Epiſcopos, ſi opus fuerit, judicium renovetur, & cognitores ipſe præbeat &c.* Idipſum ſancitur Can. 4., ubi ſtatuitur, cauſa pendente, in locum accuſati Epiſcopi neminem ſubſtitui, etſi ab Epiſcopis depoſitus fuerit, donec Romanus Epiſcopus, cauſa cognita, ſententiam tulerit. Eadem Cap. 5. repetuntur, quod quidem ſæculorum ſequentium in Dei Eccleſia praxi perpetua ſervatum eſt.

51. Propterea ante etiam Sardicenſe Concilium Cauſæ majores ſemper ad Sedem Petri fuere devolutæ: ſic exorta celeberrima de Paſchate celebrando controverſia, S. Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus, eam ad Pium I. Romanum Pontificem detulit apud Euſeb. lib. 4. cap. 13., Dionyſius Alexandrinus Patriarcha Dionyſio Romano Pontifici hæreſim Sabellii, tunc exortam, aperuit, ſeque de illa doctiſſimè purgavit, atque abſolu-

ſolutus eſt ex Athanaſ. de ſent. Diony., & Euſeb. lib. 7. cap. 5.

52. Propterea magnificis adeò nominibus Patres antiquiſſimi nedum Occidentalis, ſed Orientalis Eccleſiæ Romanum conſueverunt commendare Pontificem. Ita Patres Concilii Calcedonenſis D. Leonem Magnum, Paſtorem Ovilis Dominici, Caput Eccleſiæ, Cuſtodem Dominicæ Vineæ, Epiſcopum Univerſalem appellant, Epiſt. ad Leonem Magnum, & Act. 3. Synod. 6. in Acclamat., eum Summum Papam, & Paſtorem dicit: & ipſimet Imperatores, ſupremum in Dei Eccleſia Principem, ac Rectorem agnoſcunt, ut Conſtantinus Magnus in Epiſt. ad Sylveſtrum data, miſſaque cum Decretis Synodi Arelatenſis. Theodoſius Senior cum Gratiano, & Valentiniano, dum vult eam fidem tenere, quam tenet Romanus Pontifex: *Quam D. Petrum tradidiſſe Romanis, Religio uſque adbuc ab ipſo inſinuata, declarat*. Valentinianus Epiſt. ad Theodoſium inter Calcedon. Præliminar. *Debemus*, inquit, *Dignitatem propriæ venerationis B. Apoſtolo Petro intemeratam ſervare, quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii contulit antiquitas, locum habeat de Fide, & Sacerdotibus judicare*. Galla Placidia ſoror Honorii Imperatoris, Uxorq; Conſtantii II. Auguſti, ad Pulcheriam ſcribens, hortatur, ut circa tumultus Concilii Epheſini 2. Prædatorii, res ità componatur: *Ut omnibus integris permanentibus, ad Apoſtolicæ Sedis judicium, in qua Primus Apoſtolorum B. Petrus, qui etiam Claves Regni Cælorum ſuſcipiens, Principatum tenuit, Epiſcopatus cauſa mittatur*. Similia ſcribit ad Theodoſium. Et Pulcheria Augu-

 ſta

sta scribens ad Leonem Magnum, hujusmodi formulis utitur: quibus quoquè utitur Justinianus I. Augustus, quibus Primatum à Petro derivatum in Romano Pontifice coruscantem ultrò confitetur, & congruam S. Sedi reverentiam profitetur exhibere in Epist. ad Joan. Pap. Cod. de Sum. Trin., & Fid. Cat. in princip. Authen., & ad Bonifac. Cap. Multa alia ex ipsismet Orientalibus congeri valent, quæ legi possunt apud Jodoc. Cocc. in thes. Cath., Pozzol., Turrian., Valentiam, aliosque Controversitas; igitur negare nullo modo possunt Orientales Etherodoxi, quin Romanus Pontifex Petro succedat nedum in Episcopatu Romano verum etiam in Ecclesiæ Universalis Præfectura.

SECTIO QUINTA.

Solvuntur Objectiones.

53. OBji. I. ex Conciliis: Nicænum Primum Diœceses æquè distribuit, vel supponit antiquitus distributas, Episcopo Romano, Alexandrino, & Antiocheno; Ergò; Romanus Pontifex non succedit Petro in supremo Ecclesiæ regimine. Consequentia patet. Probatur antecedens: Can.6. citati Concilii ita sonante: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libiam, & Pentapolim; itaut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia, & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est*: Et Clariùs antiqua Canonum collectio, usque ad Dionysium Exiguum, qua Ecclesiæ Alexandrina, & Antiochena utebantur; ergò Nicænum Concilium æquè Diœceses distribuit Episcopo Romano, Alexandrino, & Antiocheno.

54. Resp.

54. Resp. nego antecedens, ad cujus probationem nego consequentiam; sensus siquidem allati Canonis non est ille, qui ab Adversariis intenditur, sed per eumdem dumtaxat innuitur, quod Antistes Alexandrinus, recensitas Provincias debeat gubernare, quia Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libiæ, & Pentapolis: non ergo est sensus, quod Patres Nicænæ Synodi Diœcesim distribuerint Romano Episcopo, cujus supremam authoritatem, ab ipsis independentem, certissimè agnoverunt, & proinde Canonem hoc pacto edidere: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*; ac postea subduntur, quæ habentur in objectione, eo sanè fine à Nicænis Patribus prolata, ut Meletii Lycopolytani Episcopi coerceretur audacia, qua Privilegia, majestatemque Alexandrini Patriarchæ violenter invaserat, apud Theodoretum Lib. 1. Hist. Cap. 4.

55. Obji. II. Concilium Calcedonense, Oecumenicum Act. 16. Can. 8. concedit privilegia eadem, quibus fruitur Romanus Pontifex, Episcopo Constantinopolitano, eo quia Præsul est Regiæ Urbis, & quia id decreverunt Patres Synodi Primæ Constantinopolitanæ, iisque privilegiis ideò potitum fuisse, quia Roma vetus Caput erat Romani Imperii; ergò Romanus Pontifex neque est omnino Supremus, neque hoc habet ex Divi Petri Successione.

56. Conf. ex Concilio IV. sub Simmaco Papa ubi sic habetur: *Apostolicæ Sedi Conciliorum venerandorum authoritas singularem in Ecclesia tradidit potestatem*; ergò Romanus Pontifex non habet ex successione Pe-

tri Supremam in Ecclesia Dei authoritatem.

57. Resp. Nego antecedens: Verum enim Concilium Calcedonense, supremam in Romano Pontifice authoritatem agnovit, in Petri successione fundatam, atque à Christo ipso manantem: hinc Act. 1. ex solo mandato S. Leonis Papæ compellitur Dioscorus minimè sedere ut Patriarcha Alexandrinus, sed potiùs se sistere ut rerum atque omnia agit directione Summi Pontificis, quem vineæ custodem appellat. Itaque Canon ille, completo jam Concilio, Patribusque dimissis, furtivè, ac subreptitiè, Legatis Apostolicis absentibus, fuit conditus, qui cognita fraude acerrimè reclamarunt, neque umquam ab ullo Romano Pontifice fuit approbatus, sed potius à S. Leone reprobatus, etsi Marcianus Augustus, & Pulcheria uxor pro Anatolio noviter electo deprecarentur, ut ex epist. eorumdem ad Leonem datis, & ejusdem ad ipsos responsivis literis liquido apparet, & propterea hujusmodi æqualitatem subsequentes Patriarchæ sanctimonia clari minimè agnoverunt.

58. Eodem vitio laborat etiam Canon Constantinopolitanus, qui nunquam à Sede Apostolica sive per Damasum, cujus authoritate collectum est, sive per subsequentes Pontifices, calculum approbationis obtinuit; & hoc adeò verum est, ut nemo ex Constantinopolitanis Patriarchis à Nectario ibidem electo, usque ad Anatolium, qui Synodo Calcedonensi interfuit, hujusmodi privilegio frui præsumpserit. Itaque non locum æqualem cum Romano Pontifice, sed eo inferiorem: at Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno superiorem obtinere tentarunt, quod tamen in Anatolio S. Leo Magnus, datis ad

Mar-

Marcianum, & Pulcheriam Augustos, & ad eumdem literis acerrimè reprehendit, veluti Patriarcharum Antiochiæ atque Alexandriæ repugnans privilegiis, quæ à Synodo Nicæna I. fuere firmata.

59. Eodem sensu Synodus Trullensis privilegia Patriarchæ Constantinopolitano concessit, at nimirum primo post Romanum Pontificem super Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum respectivè honore frueretur; loquitur enim in sensu Synodi Constantinopolitanæ atque Calcedonensis, quas novimus Patriarchæ Constantinopolitano non æqualem Romano Episcopo, sed primum post ipsum attribuisse. Cæterum Synodus Trullensis non magni facienda est, quæ nec 6. Synodus dici debet, quæ Monothelitas damnavit, nec legitima, utpotè multos continens errores, neque umquam ab ullo Romano Pontifice, neque Ecclesiæ Universalis calculo approbata.

60. Ad Confirmationem facilè respondetur ex ipsomet textu, inquit enim: *Ejusdem Sedi primum Petri Apostoli meritum, deindè secuta jussione Domini, Conciliorum venerandorum authoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* Cum ergò ex jussione Domini, & Petri Apostoli merito, Sedes Apostolica Supremam potestatem obtinuerit, Concilia nihil eidem contulerunt, nisi agnitionem, atque approbationem, non verò ipsammet Dignitatem.

61. Obji. III. Romanus Pontifex à Conciliis suprema sua Dignitate spoliari potest; ergò eam non habet ex successione. Consequentia patet, antecedens probatur. Nam Gregorius Sextus legitimus, & Sanctus Pontifex, Simoniacæ labis acerrimus hostis, ex Othone

Trisingensi in Concilio Sutrino fuit depositus, Hermanno Contracto, & Lamberto Scaphaburgensi in Hist. suorum temporum referentibus. II. Joannes Vigesimustertius in Synodo Constantiensi, non propter hæresim, aut schisma, sed ob immania scelera ipsi objecta, nec ab eodem diluta, ut patet ex sententia adversùs eum lata: Sess. 12. fuit à Pontificatu depositus; ergò Romanus Pontifex potest à Conciliis sua dignitate spoliari: adeoque &c.

62. Respond. Si loquamur de Pontifice certo, & indubitato nego antecedens, ad cujus probationem, quantum ad Gregorium Sextum attinet, admittendo eum fuisse legitimum, Sanctumque Pontificem nego consequentiam; non enim legitimè, sed violenter, & injustè fuisset depositus, præpotentia nimirum Henrici Secundi Imperatoris, qui rebus se Ecclesiasticis libenter miscebat, & electioni Pontificum inhiabat, ut Clementi Secundo ejusdem conterraneo locum daret, uti tenet Baronius an. 1144. vel spontè, ad tumultus effugiendos, oneri, simul & honori cessisse, utpote virum Sanctum, & Religiosum ex Leonis Hist. in Cronic. Cassin. lib. 2. cap. 27. Si autem teneamus cum aliis, ut Paulo Langio in Cronico Ecclesiæ Cirinensis, Mat. Palmerio in Cronico, & aliis, Gregorium fuisse illegitimum, & Schismaticum Pontificem, sumus extra aleam difficultatis; cum, Papa intrusus, & Schismaticus non sit verus & indubitatus Pontifex: ad hoc autem, ut argumentum probaret, convinci deberet, verum, certum, & indubitatum Pontificem fuisse depositum, & quidem à legitima potestate, quale non erat Concilium Sutrinum mere Provinciale.

63. Ad

63. Ad Secundum eodem pacto respondetur Joannem XXIII., non certum, sed dubium, & in Schismate regnantem Pontificem extitisse, alioquin, quomodo tanta Ecclesiæ turbatione ad idem sedandum opera, atque industria Sigismundi Augusti fuisset, post quadraginta annorum Schisma Synodus illa collecta? Ideò autem in sententia diffinitiva non fuit Schisma prò causa depositionis expressum, quia hoc notorium erat, non autem erant notorii pravi mores, ob quos, stante schismatis opportunitate, deponi debuerat: Cæterum non desunt Acta illius Synodi, præsertim illa, quę colligit Hermannus Wander. Hardt. in quibus exprimitur schisma prò causa præcisa depositionis; sicut ex se juxta Christi judicium deponeretur, non autem ab Ecclesia quem contingeret in hæresim manifestam incidere juxta Can. *Si Papa*, Dist.40. uti à Deo solo, & Christo eligitur, sola persona per Cardinales electione designata.

64. Obji. IV. Pontifices ipsi asserunt, se Decretis Conciliorum, & Ecclesiæ subjectos, à quibus eis minimè licitum est declinare; ergò Pontifices ab ipsis Conciliis, & Ecclesia potestatem agnoscunt; ergò non habent ex successione in Cathedra Petri. Consequentia patet, Probatur antecedens, ex Gelasio ad Episcopos Germaniæ, ex Zozimo, & aliis relatis à Gratiano 25. quæst. 1. cap. *Contra*: Ergò Pontifices se fatentur subditos Decretis Conciliorum, & Ecclesiæ.

65. Resp. ne. conq. illa en. subjectio, de qua Pontifices mentionem faciunt, si Decreta non Fidem, sed mores, & disciplinam unicè respiciant, est solummódo directiva, non coactiva, eo modo, quo boni Princi-

pes, etiam supremi, se propriis, ac Reipublicæ legibus fatentur subjectos, absque ulla supremæ dominationis jactura; hinc identidem, nedum quoad leges Conciliorum, sed etiam proprias ex justa causa dispensant; uti se fecisse cum Anglis, & Siculis Gregor. Magnus, circa matrimonia in gradibus prohibitis, & binam in anno Synodi celebrationem lib. 12. epist. 31. ad Felicem Episcopum, & scribit quoque Gelas. I. epist. 1. idipsum fieri posse, & revera fecit ibidem.

66. Obji. V. Ex Patribus: S. Cyprianus Epis. ad Quintum reprehendit eum, qui se nominat Episcopum Episcoporum, & cogit illos ad judicandum juxta suam sententiam, cum judicium Christi expectari debeat, qui solus est Judex vivorum, & mortuorum & lib. de Unit. Ecclesiæ asserit, Episcopatum unum esse, cujus partes à singulis Episcopis in solidum possidentur: hæc autem omnia essent falsa, si Romanus Pontifex ex successione esset Ecclesiæ supremus; revera igitur talis non est.

67. Conf. nam S. Gregorius Magnus, & Pelagius Secundus Romani Pontifices lib. 4. epist. 3. ad Maurit. & epist. 1. ad Joannem Jejunat. Constantinopolitanum Patriarcham respuunt, ut sacrilegum, prophanum, & anticristianum titulum Patriarchæ Oecumenici, & Episcopi universalis; ergò titulus iste non competit Romano Pontifici: competere autem deberet, si Petro succederet in supremo Ecclesiæ principatu; igitur si non competit, neque etiam succedit.

68. Resp. ne. conseq. Cyprianus enim Sedis Apostolicæ invictissimus propugnator, ut patet ex ipsomet lib. de Unit. Ecclesiæ, ubi asserit, originem hæresum esse divisionem à

Pe-

Petri Sede, quam dicit epist.3. ad Cornel. *Ecclesiam principalem*; *unde unitas Sacerdotalis exorta est*; hancque esse caput, & radicem Ecclesiasticæ unitatis, nihil aliud vult, nisi nullum Præsulem in Nationali Concilio vocari debere Episcopum Episcoporum omnium; cum ipse optimè noverit, titulum illum soli Romano Pontifici de jure competere: nec lite pendente, neque adhuc indecisa, quemquam ex Episcopis compelli debere ad sentiendum adversus propriam opinionem, non verò excludit magisterium Supremum, & Romani Pontificis primatum, quem appellat *Radicem, & Matricem Catholicæ Ecclesiæ* lib.4. epist.8. Ideò autem asserit, Christi judicium expectandum, quia nimirum interdum res controversa apparet adeo dubia, & anceps, ut idcircò judicium Christi debeat expectari, qui est summus omnium Judex Vivorum, & mortuorum. Neque Primatui Romani Pontificis ullum præjudicium affert Cyprianus, cum ait, Episcopatum omnibus Episcopis in solidum convenire: hoc enim verum est, non quia Episcopatus æquè in singulis dividatur: sed quia, si ordinem spectemus, idem in specie omnibus competit Episcopis: si verò jurisdictionem; etsi originaliter, & præcipuè in Romano resideat Pontifice, derivativè tamen, & per participationem omnibus Episcopis juxta statum eorum, & qualitatem Communicatur, eamque in gradu exercent unicuique competenti.

69. Ad confirm. dist. antecedens: Si nomen, & titulus universalis excludat inferiorum Episcoporum respectivam in propria Diœcesi jurisdictiorem, permitto antecedens si non excludat nego antecedens & conseq. Di-

vus Gregorius, & Pelagius Secundus hujusmodi titulum in primo, non verò in secundo sensu reprehendunt, quia videtur in cæteris Episcopis inferre carentiam dignitatis, ut patet ex citatis epist., quod sanè in alio sensu non reprehenderent, & propterea seipsos Summi Pontifices minimè Episcopos universales inscribunt, sed Episcopos Ecclesiæ universalis. Si tamen Joannes seipsum vocasset universalis Ecclesiæ Episcopum, æquè profectò à D. Gregorio fuisset reprehensus, eo quia titulus iste, tametsi dignitatem inferiorum Præsulum nequaquam excludat, Episcopo tamen Constantinopolitano minimè congruebat, sed Romano tantummodo, verè Petri Successori Apostolorum Principis. Si verò contendatur, hujusmodi titulum à D. Gregorio, & Pelagio secundo fuisse rejectum, hoc parum nocet: titulus enim solummodo ad humilitatem fovendam, & superbiam comprimendam fuit reject. non verò substantia ipsa. Scimus enim, Gregorium Magnum, & Pelagium secundum dignitatem suam supremam ex Petri successione manantem, etsi titulum Episcopi Universalis execrarentur, agnovisse, & acerrime propugnasse atque exercuerunt, ut ex gestis eorum, & scriptis liquido apparet. Legatur Epist. 3. Gregorii ad Eulog. lib. 4. & Epist. Pelagii ad Pseudo-Synodum Constantinopolitanam.

70. Obji. VI. Jus appellationis ad Romanum Pontificem, veluti ad ultimum Judicem, neque ex Canonibus, neque ex consuetudine agnitum est; ergò Romanus Pontifex non succedit Petro in suprema potestate. Consequentia patet; Probatur antecedens ex Synodo sexta Carthaginensi, in qua, Lega-

tis

tis Apostolicis Zozimi Papæ adducentibus prò fundamento appellationis Affricanorum ad Papam Canones Nicænæ Synodi, quæ stabilire easdem videtur, cum solicitè quærerentur, ne dum in Africa; sed neque apud Patriarchales sedes Alexandriæ, & Constantinopolis inveniri potuerunt; igitur non agnoverunt hujusmodi jus appellationis; neque allegari potest consuetudo: si enim adstitisset, Patres cum Legatis de re notissima minimè disputassent.

71. Resp. nego antecedens, ad cujus probationem ne. consequentiam; ex eo enim, quod Canones Nicæni minimè fuerint inventi, nequaquam sequitur non extitisse: de facto enim ex pluribus Canonibus in Synodo Nicæna editis, viginti solummodo nunc reperiuntur, licet longè plures Alphonsus Pisanus Societatis Jesu Presbyter ex Arabico transtulerit, & D. Augustinus magnum illud Ecclesiæ lumen fatetur, nonnullos ejusdem Synodi Canones ignorasse: Patres verò Carthaginenses decepti sunt sumendo Nicænos prò Sardicensibus. Idcircò autem hujusmodi Canones quæsiti sunt, quia eos prò ratione Legati Apostolici adduxerunt, qui profectò, si consuetudinem vetustissimam attulissent, qua scimus, etiam ante Nicænam Synodum Afticanos ad Sedem Apostolicam appellasse, ut præ cæteris de Fortunato, & Felice à sententia S. Cypriani, ad Cornelium provocantibus lib. 1. Epist. 3. notum est; vel ipsosmet Canones Sardicenses prout à Nicænis distinctos, in quibus appellationum jus ad Sedem Apostolicam apertissimè continetur, utique minimè cespitassent. Itaque Patrum Carthaginensium cum Legatis Apostolicis dissidium

min-

minimè de appellationis validitate pendebat; illam enim optime noverant, præsertim Augustinus, qui ex illis erat, & ejusdem in causa propria compos fuit ab Antonio Fesulano Episcopo apud Cælestinum Pontificem provocante vexatus ut patet ex Epist. 261. sed de modo, quo Judices mittebantur cum familia armata, strepituque sæcularem pompam nimirum ostentante. Cæterum Patres Carthaginenses humillimè quidem obtemperarunt, sed rogarunt quoque Cælestinum Primum Pontificem, ne tanto fragore procederet; inquiunt enim: *Executores etiam Clericos vestros, quibuscumque petentibus, nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum Typum sæculi in Ecclesia Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem Domini videre cupientibus, præfert, videamur inducere.*

72. Porrò Canon 9. & 17. Synodi Calcedonensis, quo statuitur, litigantem Clericum ab Episcopo, Episcopum ab Archiepiscopo, ipsum verò à Primate, vel Constantinopolitano Antistite judicari oportere, ad rem nihil facit, cum de prima instantia loquatur, non verò de provocatione per appellationem ab ipsis ad superius Tribunal, de quo nulla fit mentio; sed solummodò statuit, judicialem ordinem servari, cum de appellatione ad ultimum Tribunal in Nicæna, & Sardicensi Synodo satisfuerit declaratum. Nec hujusmodi Canones nos terrere debent, cum à Sancto Leone Papa minimè fuerint confirmati, uti decreta de fide optimè calculo suo roboravit.

73. Obji. VII. Judicium Romani Pontificis ab Ecclesia primitiva, supremum, & ultimum nequaquam fuit habitum; ergò Romanus Pontifex Petro non succedit in Eccle-

siæ

siæ supremo Principatu Consequentia patet; Probatur antecedens : nam D. Athanasius à Julio Primo absolutus causam suam vidit in Concilio Sardicensi novo examini subjectam Theodoretus ab Ephesina prædatoria Synodo Episcopatu spoliatus, atque à S. Leone Magno restitutus in Synodo Calcedonensi act. 8. jus dicere denuò compellitur : Judicium Melchiadis in causa Donatistarum novo Examini in Synodo Arelatensi prima subjicitur ; in Synodo 8. causa Photii a Nicolao Primo depositi ad incudem, iterum revocatur; ergò judicium Summi Pontificis Romani ab Ecclesia supremum non est habitum; ergò &c.

74. Resp. nego antecedens ad cujus probationem negō consequentiam; tunc enim solummodò Tribunal aliquod arguitur non esse supremum, cujus causæ alterius Tribunalis examini subduntur, quotiescumque hujusmodi subjectio est coactiva, & Judex *ad quem* à Judice *à quo* est diversus, iste verò invitus judicium sustinet, non verò quando Judex *à quo*, & *ad quem* est idem, & quidem Judex *à quo* examen novum voluntariè permittit, & ipsemet ferre sententiam debet : casus verò allati in oppositum secundo, non priori modo contigerunt : Ita Melchiades precibus impulsus Constantini Magni ad trutinam revocari permisit causam Donatistarum : at missis ad Synodum Arelatensem Legatis, & eodem judicio adversus eos lato. Idipsum contigit in Sardicensi, in quo per Legatos suos Julius Primus Athanasii causam denuo tractari passus est, eademque prodiit sententia Athanasio propitia ex eodem Athan. Apol. 2. eodem modo cum Theodoreto actum est à

S. Leo-

S. Leone Episcopatui restituto, cujus permissu causa denuo discussa act. 8. retulit absolutionem. Ita quoque de Photio ante à Nicolao Primo damnato, Adriano Secundo permittente, judicium à Synodo 8. Legatis Apostolicis præsentibus, renovatum est, eademque adversus eumdem Photium sententia prodiit: hujusmodi autem judicii renovatio, quæ interdum ad ostendendam ejusdem rectitudinem, atque Apostolicæ Sedis æquitatem permittitur, nullum Primatui præjudicium affert, cum idem sive in primo, sive in secundo examine sit Judex, à quo sententia Concilii approbari debet, & absque ejus confirmatione irrita censetur, quod sane in aliis Judicibus, etiam in Synodo generali à Papa contradistincta minimè advertimus.

75. Obji. Ultimo: Ex eo quia Romanus Pontifex Petro succedat, non arguitur in Ecclesiæ universalis Præfectura succedere; ergò revera non succedit, consequentia patet; Probatur antecedens: ex eo enim quia Episcopus Hierosolymitanus Jacobo succedat, qui fuit Apostolus, non sequitur eidem succedere in Apostolica dignitate; ergò ex eo quia Romanus Pontifex Petro succedat, qui fuit Pastor Ecclesiæ Universalis, non sequitur, eum succedere in Pastoratu Universali; sicuti enim Præfectura universalis non fuit data præcisè propter Petrum, sed propter Ecclesiam; ita neque Apostolatus Jacobo propter ipsum, sed in Ecclesiæ utilitatem; & profectò si hoc argumentum convinceret, probaret quoque Romano Pontifici competere dona prophetiæ, linguarum, & miracula patrandi, quod tamen evidenter falsum est.

76. Resp. nego antecedens, ad cujus proba-

bationem nego consequentiam; Summus enim Pontificatus ex sua ratione intrinseca Pastoratum Ordinarium supremum involvit, ad Unitatem servandam Ecclesiæ, ipsamque rectè more monarchico, stante Christi institutione, usque ad finem sæculorum administrandam unicè necessarium: Apostolatus verò prò Ecclesiæ quidem plantatione, atque diffusione, non tamen conservatione in sua omnimoda amplitudine fuit necessarius: Hinc Apostolica dignitas non in Episcopis, etiam si Sedes occupent ab Apostolis fundatas primario, & per se, sed in Romano solum residet Pontifice, qui propterea Vir Apostolicus appellatur, ejusdem officium Apostolatus ejusque Sedes Apostolica nuncupatur à Patribus, & Conciliis. Neque ex Summo Pontificatu argui debent dona linguarum Prophetiæ, atque miraculorum; hæc enim ad regimen universale minimè sunt necessaria, benè verò ad Ecclesiam ædificandam: munera enim hæc propterea etiam in Apostolatu nequaquam fungentibus semper visa sunt: & hæc est ratio, cur non duodecim fuerint Sedes Apostolicæ juxta numerum Apostolorum erectæ, sed unica tantum, in qua Petrus sedit, diesque suos clausit.

CAPUT IV.

Utrum Patriarcha Constantinopolitanus in Ecclesia Orientali Primatum obtineat?

77. Constantinopolitana Ecclesia simplici tantummodo Episcopo olim potiebatur Eracleensi Primati subjecta. Cum verò Bizantium Imperio per Constantinum Magnum in Orientem translato, Regiæ Urbis dignitatem

tem obtinuisset, Episcopi quoque Urbis ejusdem eminentiorem cœperunt locum ambire; hinc Patres Synodi primæ Constantinopolitanæ, atque Calcedonensis, Romano tamen Pontifice refragante Damaso Primo, ac Leone Magno, eidem Sedi primum post Romani Pontificis locum concesserunt: orto deinde Photiano schismate, altiùs hujusmodi Patriarchæ fastigium dignitatis suæ extollere tentarunt, seipsos vel Romano Pontifici superiores, vel saltem æquales insigni audacia venditantes, itaut unus Orientali, Occidentali alter Ecclesiæ suprema potestate præsideret ex Nilo de Prim. Papæ Barsam. ad can.6. Nicæni Primi, eo pacto, quo Honorius Imperii Occidentalis, Arcadius Orientalis clavum tenebat.

78. Utique prò bono pacis Innocentius Tertius eidem Patriarchæ in Synodo Lateran. primum post se tribuit locum: at schismate Photiano exorto, temperamento hujusmodi minimè fuere contenti Constantinopolitani Patriarchæ, sed æqualitatem exigebant ut patet ex Florentina Synodo, in qua Joseph Patriarcha non ad osculum pedum, sed vultus Romani Pontificis admitti vix potuit adduci. Quæritur nunc, an hujusmodi præsumptio sit legitima, & revera Patriarcha Constantinopolitanus Romano Pontifici, dignitate, ac potestate æqualis existat.



Dicendum est, Patriarcham Constantinopolitanum nedum, non esse Romano Pontifici authoritate Superiorem, aut ipsi æqualem, sed eo veraciter inferiorem.

79. PRobatur ex scripturis sic: nam Primo Patriarchæ Constantinopolitano, cui cæteri succedunt, numquam dictum est à Christo Domino, sicut Petro, cum Christi divinitatem ante omnes Apostolos fuisset confessus: Matt.16. 18. *Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cœlis quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Et Joan.21. 16. 17., cum exegisset à Petro verum sui amorem Christus oves illi suas commendat: *Pasce oves meas* quibus verbis, Supremum Petro Principatum fuisse commissum significari, Patres ipsi Orientales affirmant, ut Origenes in cap.6. ad Ro. Nazianzen.orat. de Moderat. in Disp. haben. Imo ipsimet Photii Sectatores, ut Theophilus explicans verba Lucæ 22. 32. *Ego rogavi prò te Petre*, Oecumen. in cap.1. Act. Apost. Barsam. in medit. ad Marcum Harmenop Philoteus contra Gregoram scribens prò Palama lib.7. eadem clarissimè fatentur igitur Patriarcha Constantinopolitanus, Petro minimè succedit; ergo neque succedit in Ecclesiastico supremo principatu, quod quidem ipsimet cognoverunt, cum nullus ex his, etsi Romano Pontifici insultans, seipsum unquam Petri successorem affectuerit, benè verò Romanum Pontificem.

80. Quo

80. Quo argumento refellitur inane Græcorum refugium, nempe translatio Imperii Romani ad Urbem Constantinopolis, ex qua sequitur quoque translatio Ecclesiastici Principatus: nam Divina Institutione Romanus Pontifex Petro succedens in Ecclesiæ suprema Præfectura, Fidelium omnium in rebus sacris supremum Principatum obtinuit; ergò translatio Imperii temporalis non arguit translationem Imperii spiritualis, alioquin ut optimè Gelas. ad Anastas. Imperatorem Sedes Apostolica Trevirim, Ravennam, Mediolanum debuisset transferri, ad quas urbes Imperii solium frequenter fuit translatum.

81. Dicere autem cum Nilo, Cabasila lib. de Primat. Pap. Severo Philadelph. diff. 2. de Primat. Pap. Nectar. Patriar. in Antirret. Romanum Pontificem Petro non succedere in ejusdem suprema potestate, quia donis Petri non est præditus, nimis stupidum est, imo ridiculum, hoc enim pacto nec moderni Constantinopolitani Patriarchæ antiquis succederent, quia donis eorumdem minimè apparent ornati, certè enim, neque sanctimonia, doctrinaque Nazianzeni, neque fortitudo Grysostomi, ejusque eloquentia, neque zelus Germani, neque robur Nicephori, neque constantia Ignatii, qui Constantinopolitani Patriarchæ fuerunt, ullo pacto in ipsis effulgent, nec tamen desinunt se ipsos Patriarchas censere; quia nimirum in ejusdem locum suffecti sunt, qui primò Patriarcha fuit institutus: Hujusmodi dona sanctimoniæ, doctrinæ, facultatis miracula faciendi, prophetiæ, aliaque hujusmodi, personalia sunt, non munera dignitatis; ergò, cum aliquis Petro in Ecclesiæ universali Præfectura succedere debeat, id assequi

ſequi non poteſt Conſtantinopolitanus Patriarcha, bene verò Pontifex Romanus, ſequitur apertiſſimè, eum non eſſe æqualem Romano Pontifici, ſed inferiorem non titulo tantum, & honore, ſed vera juriſdictione.

SECTIO SECUNDA

Idem ex Patribus oſtenditur.

82. HAnc veritatem Patres Orientales, etiam poſt tranſlatum Conſtantinopolim Imperium agnovere. Baſilius Magnus ab Hæreticis agitatus, Valentiniano, & Theodoſio Seniore Conſtantinopoli imperantibus, prò ſedandis procellis Eccleſiæ non Conſtantinopolim, ſed Romam veterem implorandam exiſtimat. Athanaſius vindex ille acerrimus Catholicæ veritatis, ut ſe Catholicum probaret, & calumnias repelleret Arianorum, non Conſtantinopolim, ubi ſedes vigebat Imperii, ſed Romam veterem cucurrit, ubi Julius Primus ſedebat, ibique Euſebianos Accuſatores ſuos expectans, ut lite conteſtata, judicium compleretur ex epiſt. ad ſolit., & apol.2. aſſerit, poſt judicium Romæ habitum nullo alio opus eſſe, utpotè ultimo, & ſupremo; quod quidem falſum eſſet, ſi Conſtantinopolitanus Patriarcha, aut ſuperiorem authoritate Athanaſius cenſuiſſet, aut ſaltem æqualem, Cyryllus Alexandrinus Patriarcha invictiſſimus ille Dominicæ Incarnationis Propugnator, & Romani Pontificis, cujus locum in Epheſino Primo tenebat, Legatus, ſupremam hanc authoritatem in Eccleſia Dei, non in Patriarcha Conſtantinopolitano, ſed in Romano agnoſcit Pontifice; & quod revera ita ſenſerit

Cy-

Cyrillus patet, nam hæresim Nestorii exortam, non ad alios, quam ad Cælestinum Primum Romanum Pontificem defert, & asserit, se id facere ex Ecclesiastica consuetudine, nec se ausum à Nestorii communione abstinere, nisi Romano priùs Pontifice consulto; aliaque hujusmodi sensus in eadem Synodo patent argumenta.

83. Sanctus Maximus non minus doctrinà, & sanctitate, quam natalium splendore clarissimus hæresim Monotelitarum, etsi à Patriarchis Constantinopolitanis eo tempore approbatam, attamen Romam detulit veluti ad supremam Sedem, nec alicui communicare voluit, etiam resipiscenti, nisi prius à Romano Pontifice absolutionem impetrassent apud Gennad. cap. 5. Theodorus Studita Martyr quoque illustris, atque imaginum sacrarum fortis Atleta scribens ad Michaelem Balbum Iconomachum Imperatorem hortatur, ut Ecclesiam Romanam consulat, *cujus Petrus tenuit primam Sedem, ad quem dicit Dominus. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Plura alia Sedis Apostolicæ Romanæ encomia scribit Studites in epist. ad Paschalem Papam, & postulat ab ipso auxilium urgente hæreticorum insectatione; quæ sanè stultissime Studita protulisset, si æqualia vel potiora Constantinopolitanus Præsul privilegia possedisset: & similia proferunt Archimandritæ, & Monachi Orientales ad Hormisdam Papam scribentes, etsi Catholicus Imperator Constantinopoli regnaret, opem non à Bizantino, sed à Romano Antistite enixè postulantes; ergò si Studites, & Monachi, & Archimandritæ Orientales, non in Episcopo Regiæ Urbis, etsi Augustorum sede deco-

decoratæ, ſed in Romano Pontifice poteſtatem ſupremam ligandi, & ſolvendi agnoſcunt, Conſtantinopolitanum Præſulem, etiam translato imperio, neque ſuperiorem, neque æqualem faciunt Romano Pontifici.

SECTIO TERTIA

Ex confeſſione ipſorummet Patriarcharum idipſum oſtenditur.

84. Sed ipſoſmet Conſtantinopolitanos Patriarchas audiamus, poſt translatum ad Regiam Urbem Imperium. Joannes Chryſoſtomus magnum illud Eccleſiæ Orientalis lumen Synodum à Teofilo Alexandrino Patriarcha, aliiſque Epiſcopis collectam renuens accedere, non attulit prò ratione hujuſmodi cum Romano Epiſcopo æqualitatem, multò autem minùs ſuperioritatem adduxit; ſed Innocentium Primum Romanum Pontificem, interpoſita appellatione, Judicem imploravit, ac rogavit, Acta reſcindi, hoſteſque ſuos pœnis plecti epiſt. 1., quæ ſanè non ſuperioritatem, aut æqualitatem Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Romanum indicant, ſed inferioritatem. Neſtorius ipſe illius Urbis Epiſcopus, etſi hæreſi pollutus, apud Romanum Epiſcopum accuſatus, non ſe hujuſmodi ratione excuſavit, ſed libros ſuos ejuſdem correctioni exhibuit. Menna, Juſtiniano Primo Imperatore, Regiæ Urbis Patriarcha in Synodo ibidem celebrata, non ſe jactat Hormiſda Romano Pontifice ſuperiorem, ipſique dicit æqualem, ſed cum patribus illis: *ſuſcipimus*, inquit, *& Epiſtolas Romanæ Sedis Præſulum*, in quibus primatus Romani Pontificis inculca-

tur, non verò Constantinopolitani Patriarchæ. Germanus Primus sanctitate celebris, & Iconomachiæ hostis acerrimus, ad Gregorium Secundum Romanum Præsulem scribens, non sibi, sed ipsi supremam in Ecclesia tribuit potestatem, inquit enim: *Atque hæc Pater Sancte, nunciamus vobis, ut juxta potestatem Apostolicam tibi datam à Christo in Nos, qui pascimur à Successoribus Petri, dirigas nostram Fidem, confirmesque quæ nostra Catholica pietas orthodoxè docet, nimirum intonans, & clamans à cacumine tuæ divinæ Sedis, & nobis consonans.* Similia scribit Tarasius ad Adrianum Secundum, apud Josephum Methonensem in Anth. adver. Marcum. Metodius epist. Synod. ad Sergium. Ignatius epist. ad Nicolaum Primum. Nicephorus doctrina, & Sanctitate celebris ad Leonem Tertium Romanum Pontificem, & alii apud Baron. ad annum Christi 916.; ergò ipsimet Patriarchæ Constantinopolitani non se pares, & multo minùs Superiores Romano Pontifice agnovere, etsi Urbis Imperialis Antistites.

SECTIO QUARTA

Idipsum ex Conciliis comprobatur ab ipsismet Græcis celebratis.

85. Concilia ipsa eamdem evincunt veritatem: Synodus enim Constantinopolitana prima sub Damaso Primo, & Theodosio Seniore Imperante, ad evertendam Macedonii hæresim celebrata, divinitatem Spiritus Sancti denegantis, fatetur se à Damaso Romano Pontifice collectam, epist. ad Damasum Patres se Summi Pontificis membra confiten-

fitentur, non verò Bizantini Episcopi; Actorum confirmationem à Pontifice postulant, inter quæ aderat Nectarii Regiæ urbis Antistitis recenter creati ordinatio, Maximo Cynico rejecto. Ephesinum Primum idipsum manifestè convincit: nam Nestorius Imperialis Urbis Episcopus, nec Synodum convocare, nec eidem præsidere potuit, benè verò Cælestinus Romanus Pontifex, qui, teste Gelas. primo in Synod. Rom. Synodum illam coegit, eidem præsedit, atque direxit, collata Cyrillo Alexandrino potestate, ex epist. Cælestini ad Nestorium, & Cyrilli ad Cælestinum, missis quoque aliis Legatis, qui Synodo simul cum Cyrillo præessent, ex epist. Cæles. ad Synodum. II. Nestorium jubet Cælestinus Pontifex Romanus infra decem dies errorem suum revocare sub periculo depositionis. III. Ante Synodi sententiam dogmata Nestorii à Cælestino fuere proscripta, Doctrina verò ejusdem Pontificis à Synodo acceptata, ut Fidei regula, Nestorio, aut Patribus defectum authoritatis nequaquam adducentibus, sed potius decisioni plaudentibus, par. 2. Ephes. cap. 13. IV. Patres Ephesini Actorum confirmationem non à Maximiano noviter ad Cathedram Constantinopolitanam assumpto, sed à Xysto Tertio, qui Cælestino successerat, flagitant, & Maximianus ipse confirmationem in sede sua obtinet; ergò non agnovit Ephesinum primum in Constantinopolitano Patriarcha hujusmodi superioritatem supra Romanum Pontificem, aut cum ipso æqualitatem. Synodus Calcedonensis ex Episcopis sexcentis, & triginta conflata, ac Marciani, & Pulcheriæ Augustorum præsentia decorata satis ostendit, quam ineptè Præsul Constantinopolitanus ob Imperii trans-

slationem supremum in Ecclesia, saltem àpud Orientales, sibi Magistratum arroget. Primo enim, ut convocaretur, non authoritas Anatolii tunc præsentis, qui, Flaviano apud Prædatoriam Ephesinam Synodum interfecto, in Episcopatu successerat, fuit quæsita: sed Leonis Magni Romani Pontificis; extatque Marciani ipsius epistola postulatoria in prælud. Calced. Concilii. Secundò Missis ad præsidendum loco sui Legatis, uti reipsa fecerunt, ut patet act.2. Non Anatolius Patriarcha Regiæ Urbis, sed Romani Pontificis Legati Dioscorum in Concilio consistere uti reum compulerunt. Act. 3. Dioscorus Alexandrinus Patriarcha, non Anatolii Constantinopolitani, sed Leonis Romani Præsulis imperio, Episcopatu nudatur. Tertiò Ibidem adducitur causa depositionis, quod Synodum, inconsulta Sede Apostolica, cogere ausus sit, & Romanum Pontificem excommunicatione ferire: nemo autem, eo quia Synodum colligere, inconsulto Bizantino Episcopo, aut quia Anathemate eum percusserit, fuit depositus; non ergò censebatur æqualis, aut superior Romano Pontifice. Act. 4. Hæretici censentur non subscribentes epistolæ S. Leonis Papæ Concilii directivæ in materia Fidei, & ipsemet Anatolius subscripsit, veluti fidei regulæ, quod sanè cum Episcopis Constantinopolitanis numquam factum est. Demum Patres, & Augustus ipse non ab Anatolio præsente, sed à Romano Pontifice Actorum confirmationem postularunt; ergò Calcedonense Patriarcham Constantinopolitanum neque Superiorem esse Romano Pontifici, neque æqualem agnovit. Synodus Quinta in causam trium Capitulorum, nempe Epistolæ Ibæ Episcopi Edesseni

ad Marim Persam scriptæ, Theodoreti adversus Cyrillum Alexandrinum, & Theodori Mopsuesteni Nestorianismi suspecti, celebrata sub Justiniano Primo, idipsum sentire ostendit, offerendo Vigilio Pontifici præsidentiam, non Constantinopolitano Patriarchæ Eutichio, missis ad eum rogandum, ut veniret, præcipuis Patriarchis, nempe Constantinopolitano Eutichio, Apollinari Alexandrino, Domno Antiocheno cum aliis ex præcipuis ex collat. I. & 2. Nec unquam Quinta Synodus Ocumenica, ac legitima fuit in Ecclesia habita, donec consensus, & confirmatio Romani Pontificis adfuit, etsi adesset ratihabitio Episcopi Constantinopolitani; ergò Quinta Synodus non censebat, Patriarcham Constantinopolitanum esse Romano, aut superiorem, aut æqualem.

86. Sexta Synodus ad evertendos Monothelitarum errores sub Constantino Pogonato, & Agatone Romano Pontifice collecta act. 4. recepit Epistolas ejusdem Romani Pontificis ad Imperatorem directas, & act. 8. easdem approbat, in quibus asseritur, Ecclesiam Romanam esse Apostolicam, & Matrem Imperii: eam numquam errasse, aut erraturam juxta Christi promissionem; hæc autem de Ecclesia Constantinopolitana minimè dicuntur, cujus Præsules plerique Hæretici fuere, igitur ex sententia Concilii Epistolam hanc approbantis, non Patriarcha Constantinopolitanus, sed Romanus Pontifex est supremus Fidei Judex, & quidem Imperio translato, & Imperatore ipso præsente II. in Epist. ad Agatonem eum vocant Patres primæ Sedis Antistitem, summum Apostolorum verticem, & stantem supra firmam petram. III. in acclamat. ad Imperatorem vocatur Sedis Petri Successor, Universalis

Princeps Pastorum appellatur in Epist. Imperatoris ad Synodum Romanam: hæc autem omnia, & alia similia de Præsule Constantinopolitano minimè dicuntur: ergò &c.

87. Septima Synodus, seu Nicænum Secundum adversus Iconomachos celebrata Constantinopolitano Primatui penitus adversatur. I. Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha, post Paulum, qui Prælaturæ cesserat, electus, ab Adriano Primo Romano Pontifice petit humillimè electionis confirmationem, eique libellum Fidei, ut se Catholicum probet, per litteras exhibet, miraquè Sedis Apostolicæ privilegia extollit. II. Constantinus, & Irene Augusti à Romano Pontifice, non à Tarasio Patriarcha Synodum Oecumenicam postulant, & petunt Legatos mitti, ut nomine ejusdem præsideant. Act. 3. leguntur litteræ Adriani ad Augustos, atque ad Tarasium directæ & communi calculo approbantur, in quibus continetur, Romanum Pontificem in Ecclesia Universali Primatum tenere, & Principatum ex D. Petri successione possidere, omnesque Synodos ab eo confirmari, caputque existere omnium Ecclesiarum, Pastorem, & Principem: III. Patres Concilii, & Imperator ipse Actorum confirmationem non à Tarasio in ea Urbe sedente, sed ab Adriano absente postulant; ergò Synodus Nicæna 2., imo Imperator, & Tarasius ipse censuerunt, Romanum Pontificem esse, nedum æqualem Constantinopolitano Antistiti, sed longè superiorem etiam ipsomet Imperio translato.

88. Synodus octava Oecumenica prò ejectione Photii Patriarchæ intrusi, atque Ignatii legitimi Antistitis expulsi restitutione, collecta, satis perspicuè ostendit, Primatum in Ecle-

clesia saltem Orientali ab Episcopo Constantinopolitano sibi arrogari nequaquam posse. I. enim Ignatius legitimus Pastor ab exilio revocatus ab Imperatore, sedere in solio suo detrectavit, donec authoritate Romani Pontificis gradum pristinum obtineret, teste Anastasio Bibliothecario in oct.Synod.præfat.quod sanè ineptissimè fecisset, si se Romano Pontifici aut parem, aut superiorem censuisset. II. Ignatius prò obtinendo Episcopatu Regiæ Urbis, & Photius prò eodem conservando, ipseque Augustus Basilius Romam Legatos mittunt ad Nicolaum Primum, eoque defuncto, ad Adrianum Secundum, prout Synodus postulavit. III. Legati Apostolici Adriani Papæ omnia in Synodo nutu suo dirigunt, & disponunt, juxta Nicolai, ejusdemque Adriani decreta; non verò Ignatius aut Photius prætensi Patriarchæ, & quidem nemine ex Patribus, aut Deputatis ab Imperatore Assessoribus refragante apud eumdem Anastasium in præfat. 8. Synod. IV. Legati Apostolici, non verò Ignatius prætensus Patriarcha Epitimium, seu Libellum Pœnitentiæ Episcopis, & Clericis ad meliorem frugem revertentibus exhibent Act. 2. qua sub jure jurando Sedi Apostolicæ obedientiam pollicebantur; Act. 2. V. Patres Concilii non ab Ignatio in sedem restituto, sed ab Adriano II. Romano Pontifice Actorum confirmationem postulant act. 10. quem etiam rogant, ut pœnitentes Episcopos, & Clericos in integrum restitueret, quod quidem prò Ordinatis à Photio minimè potuerunt obtinere; Ergo Synodus octava Patriarcham Constantinopolitanum, Imperio quamvis translato, minimè censuit Romano Pontifice aut superiorem, aut æqualem, sed longè inferio-

 rem,

rem, non titulo tantum, & honore, sed ipsamet jurisdictione.

89. Neque dicant Orientales schismatici, Synodum 8. minimè Oecumenicam fuisse; hoc enim eos non juvat; etsi enim Oecumenica minimè extitisset, totius tamen Ecclesię Orientalis Synodus fuit ex quatuor eorum Patriarchis conflata, & Augusti Principis præsentia decorata, quæ tamen Patriarcham suum Constantinopolitanum, aut æqualem Romano Pontifici, aut eo superiorem nequaquam agnovit; sed inferiorem, non titulo tantum, & honore, sed vera jurisdictione.

SECTIO QUINTA.

Idipsum ex Imperatoribus ostenditur.

90. Augusti Cæsares, etiam translato Constantinopolim Imperio non Bizantino Episcopo supremum rerum sacrarum regimen, sed Romano Pontifici, veluti legitimo D. Petri successori detulerunt, & quidem amplissimum, & universale. Percurrantur Constitutiones omnes Imperatorum, ut Theodosii Junioris Cap. Theodos. 6.1. cap. 2. Valentiniani Tertii ad Theodosium Juniorem in preamb. Calced. Epist. Marciani Augusti, & Pulcheriæ ad Leonem Magnum, Justini Primi Augusti ad Hormisdam obsequentissimæ literæ, missis Legatis datæ, apud Baron. ad Annum Christi 518. Justiniani Primi ad Joannem Secundum, & ad Epiphanium Regiæ Urbis Antistitem, Novel. 9., & Authen. de Ecclesiar. tit. & alibi passim: in quibus Cæsarum Constitutionibus Romanus Pontifex, non Constantinopolitanus Patriarcha, Pastor universa-

lis,

lis, Ecclesiæ Princeps, Doctor, Omniumque Sacerdotum Præsul, & Judex agnoscitur, utpote legitimus Apostolorum Principis Petri Successor.

91. Quamvis autem in causa trium Capitulorum Justinianus I. Romanum Pontificem Vigilium minimè sibi faventem indignè, ut in sensum suum reduceret, tractaverit, hoc tamen apertè convincit, ab eo Romanum Pontificem, ut supremum, & infallibilem Judicem habitum fuisse, cum de aliorum Patriarcharum, etiam Constantinopolitani parum esset solicitus, sed judicium solummodo Romani Pontificis unicè expectaret, veluti causæ decisivum, nec destitit ab incepto, donec voti compos fieret trium Capitulorum damnatione obtenta, apud Baron. ad annum Christi 553. Evagrium lib.4. cap.37. & Pelagium Secundum Epist. ad Episcopos Histriæ.

92. Propterea infulsè nimis à nonnullis magnitudo Romani Pontificis in Phocam refunditur Mauritii successorem: cum ante ipsum Constantinus Magnus, Constantinus Junior, Constant. Valentinianus Senior, Gratianus, uterque Theodosius, Marcianus, Honorius, Arcadius, Justinus Primus, Justinianus Primus, & Mauritius: post verò Phocam Justinianus Secundus, Tiberius Secundus, Constantinus Pogonatus, Constantinus cum Irene, Basilius Macedo, Leo Sapiens, ejusdem Filius Romani Pontificis majestatem à Petro Apostolorum Principe haustam, & cælitus descendentem summo loco habuerint, nullusque inveniri Orthodoxus Imperator potest, qui Constantinopolitanæ Sedi adeò adhæserit, ut eidem Præfecturam Ecclesiæ Universalis adscripserit, Romanoque Pontifici denegarit,

 eum-

eumdem, aut inferiorem, aut parem Constantinopolitano Præsuli existimans.

SECTIO SEXTA.

Idipsum rationibus evincitur.

93. PRob. Constantinopolitani Patriarchæ post Imperii translationem à Romano Pontifice ordinantur, deponuntur, restituuntur: sic Menna Vir Religiosissimus, regnante, & annuente Justiniano Primo Augusto, ab Agapito Romano Pontifice, deposito Antimo Hæretico Patriarcha, propriis manibus initiatur, ex Epist. Agapiti, ad Petrum Hierosol. Agapitum verò in depositione Antimi, & Mennæ ordinatione aliena jura minimè invasisse, testis est Synodus Constantinopolitana sub Menna ipso celebrata, quæ Pontificis hujus acta mirificè commendat, ut patet act. 1. & 4. Nestorium Constantinopolitanum Episcopum quis nesciat à Cœlestino Primo Romano Pontifice è Throno deturbatum, asserentibus Concilii Ephesini primi Patribus, ad lugubrem sententiam mandatis Cœlestini se fuisse compulsos? Quis nesciat, Photium ipsum infandi schismatis Authorem à Nicolao Primo, deinde ab Adriano Secundo à sede usurpata Constantinopolitana expulsum? Sufficit amborum Conciliorum acta lustrare, in quibus Epistolæ præceptivæ Pontificis, & executio à Synodis illis præstita expresse continetur Patriarchas quoque Constantinopolitanos injustè depositos à Romanis Pontificibus restitutos, patet in Ignatio dolis, & præpotentia Bardæ Cæsaris, & Photii expulso, & à Nicolao Primo, & Adriano Secundo in integrum restituto,

to, & act. 8. tit. secund. ex Anastas. Bibliot. in præfat. ejusdem in Joanne Chrysostomo ab Innoc. primo in sedem amissam vindicato ex Epist. Chrysost. ad Innocentium, & Innocentii ad eumdem, & ad Arcadium Cæsarem, numquam verò invenietur, Romanum Pontificem à Constantinopolitano Patriarcha, vel depositum, vel restitutum; vel confirmatum; adeoque &c.

94. Secundò Constantinopolitanus Patriarcha numquam supremus in causa Fidei Judex est agnitus, bene verò Romanus Pontifex, translatione Imperii non obstante; hinc exoriente hæresi Nestoriana, Cœlestinus Romanus Pontifex à Cyrillo Alexandrino, ex ejusdem ad illum datis Epistolis, ut supremus Judex imploratur. Leo Primus in causa Eutichetis hæreses disseminantis, ut regula fidei, & ejusdem controversiarum infallibilis Judex in Calcedonensi agnoscitur act. 4. Agato Pontifex Romanus prò Monotelitarum hæresi extirpanda, ut Judex supremus interpellatur veluti Fidem tenens, & Sedem Petri, ac veluti talis agnoscitur à sexta Synod. act. 8.

95. Tertiò: Constantinopolitanus Patriarcha Communionis Ecclesiasticæ numquam fuit centrum, & radix, etiam translato Constantinopolim Imperio, benè verò Romanus Pontifex ex Epist. Ambros. ad Imperat. hinc Athanasius ob ejusdem Communionem se Catholicum commendat: hinc Romani Pontifices Hæreticis ad Fidem Orthodoxam revertentibus formam seù libellum exhibebant, quo communionem Sedis Apostolicæ se profitebantur servaturos ex Gregor. Mag. lib. 10. Epist. 31. & ex Hormisda, misso ad Orientales, Justino I. regnante, post Epist. 28. hujusmodi libellos

C 6 Hære-

Hæreticis pœnitentibus. Nicænum secundum Concilium, & octava quoque Synodus præbuerunt, qui se ob communionem cum Apostolica sede Catholicos ostenderent, qua Hieronymus gloriabatur, & se Orthodoxum, merito censebat, scribens ad Damasum Primum.

96. Quartò: tandem Romanus Pontifex à nemine judicatur, uti optimè in causa Simmachi Ennodio præeunte, Patres Synodi Romanæ dixerunt, Patriarchæ autem Constantinopolitani pluries à Romano Pontifice fuere, judicati, & condemnati, aut absoluti, uti plura exempla in hac ipsa dissertatione adducta convincunt; ergò Patriarcha Constantinopolitanus, neque superior, neq. æqualis est Romano Pontifici, etiam translato Constantinopolim Rom. Imperio.

97. Allata hucusque argumenta magnopere Græcos Schismaticos præmunt, & idcirco ad diverticula convertuntur, inquiunt enim; Romanum Pontificem amisisse hujusmodi Primatum ob hæreses, quibus inquinatur nempe processionis Spiritus Sancti à Filio, additionis particulæ *Filioque* Symbolo Nicæno, Purgatorii, & aliarum similium, & proinde succedere in ejus locum Constantinopolitanum Patriarcham juxta Canonem Calcedonensem 16. Ita Photius ad Epist. Graden. Michael Cærulat. ad Petrum Antiochenum Antistitem Nilus de Prim. Papæ, & alii: at incassum.

98. Primo enim jam ab instituto recedunt, nec amplius in Urbis amplitudine, aut translatione vim faciunt, optimè cum Gelasio I. ad Episcop. Dardan. Epist. 13. animadvertentes, quod *alia est Potestas Regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum: sicut enim parva Civitas prærogativam Regni*

non

non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram religiosæ dispensationis non mutat: Romani autem Primatus Pontificis non à Cæsare, sed à Christo in Petro per modum Monarchiæ institutus est, dicente Christo Mat. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quod quidem non soli Petro dictum esse, sed etiam successoribus suis, docet apertissimè Orientalium Epistola ad Simmacum Papam in causa Acatii.

90. Secundò: Græcos Schismaticos ita convenio. Aut Ecclesia Romana, & quæcumque alia, cum eadem communicans, Catholica est, aut Hæretica: si Catholica dicatur, uti eam sapientissimi ex Græcis etiam modernis agnoscunt, ipsamque sequuntur, uti Fidei Magistram: Ergò supremo in Dei Ecclesia Magistratu, ac Primatu gaudet, cum ipsimet Adversarii ultrò fateantur, Christum non Democratiam, nec Aristocratiam, sed Monarchiam in Ecclesia sua instituisse, ut nimirum, juxta Hieronymum *Capite constituto schismatis tolleretur occasio*; Si autem Hæreticam dixerimus, uti Marcus Ephesius eam appellare in Florentino minimè erubuit; igitur Hæretici dicendi sunt omnes illi, qui cum eadem à suis primordiis usque ad nostra tempora communicarunt cum eadem semper usque ad præsens dogmata, Ritusque tenuerit, ac severissimè custodierit de Purgatorio, de Pane Azimo, de Processione Spiritus Sancti, de Primatu Papæ, aliisque hujusmodi; igitur Hæretici erunt censendi Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Athanasius, Epiphanius, aliique omnes ex Orientali Ecclesia Patres Clarissimi qui usque ad nostra tempora cum Ecclesia Romana communicarunt. Hæretici quoque erunt

erunt dicendi Constantinus Magnus, Constans, Gratianus, Theodosius Senior, Marcianus, Basilius Macedo, Leo sapiens, aliique Clarissimi Principes. Ipsa Concilia Oecumenica, ut Nicænum primum, & Secundum, Ephesinum primum, Calcedonense, Synodus quinta, & sexta: Ipsimet Græci, qui in Lugdunensi secundo, & Florentino communionem Ecclesiæ Romanæ, ejusque dogmata ultro acceperunt, & tenuerunt, hæresis labem incurrissent; hoc autem stultissimum est, alioquin Ecclesia Orientalis numquam Catholica extitisset.

100. Tertiò: Græci Schismatici utpote Actores, & Ecclesiam Romanam, ejusque Pontificem hæresis, Sacrorumque Canonum fracturæ accusantes coram Ecclesia universali, eam præfatorum criminum convincere deberent, ut evidenter constet ipsam hæreticam esse, tam errore intellectus, quam voluntatis pravitate; quousque enim res in ancipiti versatur, nec crimen probatur, Reus manet in sua possessione, ut omnia jura clamant, & praxis docet Tribunalium omnium Urbis, & Orbis: Græci autem Schismatici numquam coram Ecclesia universali probarunt, Dogmata, & Ritus, qui in ea iisdem displicent, atque ut hæretica sugillant, esse revera talia, voluntatisque adesse pertinaciam. Millies eorum objecta fuere dissoluta à Græcis ipsis Catholicis, tam antiquis, quam recentibus, ut Gennadio, Nicephoro, Blemmida, Joanne Vecco, Bessarione, Leone, Allatio, Papadopulo, & aliis.

101. Hanc tamen fœlicitatem Græci Acatholici sortiti sunt, ut coram Ecclesia, ejusque supremo Pontifice Eugenio IV. in Syno-

do Florentinâ cum Latinis disputârent, ipsomet Imperatore Græcorum Joanne Paleologo, & Patriarcha Constantinopolitano Josepho Synodum decorantibus. Ibi à Viris doctissimis ex utraque parte accitis controversiæ omnes examine acutissimo, diligentissimoque cribratæ sunt, atque discussæ, dubiaque omnia ita perspicuè resoluta, ut Romanus Pontifex, qui Schismaticorum judicio utpote Hæreticus, nec Episcopi nomen merebatur, à Dipticis propterea eorum deletus, unanimi Patrum omnium, etiam Græcorum sensu in D. Petri successorem Apostolorum Principis emerserit, Patris ac Doctoris Universalis Ecclesiæ titulos adeptus sit, & Primatum illum, quem ex Romani Imperii translatione Antistiti Regiæ Urbis deberi ante clamaverant, Imperator ipse, qui Synodo intererat, & Patriarcha Constantinopolitanus Joseph lubenti animo Romano Pontifici detulerunt, veluti ex Christi institutione prodeuntem, uno dumtaxat Marco Ephesio reluctante. Idipsum novimus in Lugdunensi secundo contigisse.

102. Neque cum Marco Ephesio reponatur, Græcos à Latinis victos, non ratione, sed auro, vel necessitate fœderis ad Turcarum vim repellendam: Si enim Romani Pontificis dogmata hæretica sunt, ipseque hæresi pollutus, ob nullum motivum licuit Græcos hæreticas sententias amplecti, aut cum hæretico Præsule communionem habere, dicente Christo Mat. 10. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo*: Vel igitur Græci Religionis prostitutæ doli mali, mendacii, jurisque jurandi violati rei sunt, vel fateri coguntur, nulllam in Romano Pontifice hæresim inveniri, nullam Ca-

no-

nonum fractaram ; adeoque ipsum Ecclesiæ universalis Primatus possessione manere , & consequenter Episcopum Constantinopolitanum non modo minimè superiorem , aut æqualem , sed potius inferiorem esse , non titulo tantum , & honore , sed vera ipsa jurisdictione .

SECTIO SEPTIMA.

Solvuntur Objectiones.

103. OBji. I. à Græcis crambem recoquentibus Can. 3. Synodi Constantinopolitanæ primæ , quo æqualia privilegia Constantinopolitano Episcopo conceduntur , quibus fruitur Romanus Pontifex , idipsum in Chalcedonensi Can. 6. & in Trullana Can. 36. statuitur : & Canonis ratio adducitur , quia nimirum Constantinopolis est nova Roma , adeoque ob Imperii translationem Primatus quoque fuit translatus . Nec refert , in præfatis Canonibus primum locum assignari Romano Pontifici , secundum Constantinopolitano ; nam ista prioritas est tantum loci , & honoris , non jurisdictionis , eo pacto , quo Alexandrinus Antiochenum , iste Jerosolymitanum præcedit , ut Nilus , Cabasilas de Primatu Papæ , Matthæus Blastares , Theodorus Balsamon , & alii prætendunt .

104. Resp. I. admittendo ut legitimos Canones illos , neg. conq. , illa quippè prioritas , quam Romano Pontifici concedunt Patres , est potestatis , & jurisdictionis , uti de facto in Prima Synodo Constantinopolitana comprobarunt : Libellum enim Occidentalis Synodi , cui Damasus præerat , ut Regulam Fidei recipiunt , & ab eo hæreses damnari posstu-

ſtulant ex Theodor. & lib. 7. Hiſt. per litteras Damaſi Romani Pontificis ſe aſſerunt convocatos ex eod. lib. cap. 9. ſeque ipſius membra fatentur; quem quidem loquendi modum cum Nectario Regiæ Urbis Præſule recenter electo minimè faciunt, cum à Synodo Conſtantinopolitana uſque ad Chalcedonenſem ſexaginta fluxerint anni, quibus privilegium hoc uſum non habuit; quare in Synodo Chalcedonenſi Lucentius Apoſtolicus Legatus à nonnullis Epiſcopis ad eum Canonem approbandum incitatus, ſapienter reſpondit act. 16. *Si uſi ſunt* Canone ſcilicet memorato, *quid requirunt! Si non uſi ſunt, quare requirunt?*

105. Idipſum de Chalcedonenſi Decreto aſſerendum eſt; ut nimirum ſecundum locum Patriarchæ Conſtantinopolitano, primum verò non titulo tantum, & honore ſed juriſdictione Romano Pontifici concedat, ut patet ex relatione act. ad Leonem Primum, in qua eorum petunt confirmationem, eumque infallibilem Orbis Magiſtrum, Caput, Patrem, & Paſtorem Eccleſiæ, ſeque ipſos membra, & filios appellant, & facto ipſo comprobarunt omnia, juxta mandata Romani Pontificis agentes, ut ex ſingulis actionibus Concilii conſtat.

106. Nec paritas adducta de Patriarchis cæteris valet; nam, præſcindendo nunc à modo, quo Alexandrinus Præſul Antiocheno, ipſe Jeroſolymitano ſuperior cenſetur, ex ipſis ad Romanum non licet arguere: Cum enim ex ipſorummet Græcorum ſenſu Eccleſiæ regimen Monarchicum ſit, ſuprema poteſtas in eo ſolo ſita ſit, qui Petro ſuccedit, in quo Monarchia fuit inſtituta adeoque concedentes Græci Romanum Pontificem eſſe omnium Pri-

mum,

mum, concederè quoque debent, esse omnium in Ecclesia Dei Præsulum Principem; neque fuit in Conciliorum potestate hunc Primatum à Petro derivatum alteri concedere, sed agnoscere concessum.

107. Si verò Canones hujusmodi tanquam illegitimi repellantur, sumus extra aleam difficultatis: hujusmodi verò Canones esse illegitimos patet; nam Constantinopolitani nedum minimè recepti à Sede Apostolica fuerunt, sed neque eidem relati, teste S. Leone Magno ad Anatolium Epist. 53. rejecti verò ab Ecclesia fuere utpote cæteris sedibus Patriarchalibus injuriosi. Canon verò Chalcedonensis à S. Leone fuit positivè reprobatus ex Epist. 53. ad Marcianum Augustum, & 55. ad Pulcheriam, quorum precibus Anatolius vix aquisiti Patriarchatus confirmationem obtinere potuit, qui aliena jura invaserat: nec à plena Synodo prodiit act. 6. completa, Legatis Apostolicis absentibus; sed à nonnullis Episcopis, act. 16. ac proinde numquam confirmationem Apostolicam obtinuit, etsi Innocentius III. prò bono pacis Patriarchæ Constantinopolitano primum post se locum fuerit largitus absque ulla Sedis Apostolicæ jactura.

108. Canones verò Trullenses eodem modo sunt intelligendi, sicut Chalcedonensis, & Constantinopolitanus, quorum decreta commemorant. Cæterum hujusmodi Synodus non ita magni est facienda, cum numquam à Sede Apostolica quocumque Græcorum Cæsarum conatu non obstante, approbationem potuerit obtinere, & nonnullos Canones contineat à veritate alienos, & errorem fætentes.

109. Obji. II. Divus Petrus Oeconomiam Ecclesiasticam juxta Romani statum Imperii

con-

constituit, & ideo sedem suam Romæ collocavit juxta Leonem Magnum Serm. de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, ut *lux veritatis, quæ in omnium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso Capite per totum Mundi corpus effunderet*; idcirco etiam Apostoli eodem pacto, juxta Romanam distributionem Provincias diviserunt ex Anacleto, & Patriarchales sedes fuere collocatæ Cap. *Provincias*, Dist. 99., ergò translato Constantinopolim Imperio, potestas quoque suprema Ecclesiæ translata est: Prob. conseq. cessante fine, cessant ordinata ad finem; ergò si D. Petrus ideo Romæ Sedem collocavit, quia sedes erat Imperii, cessante Imperio, cessavit quoque Petri Sedes.

110. Resp. ne. conseq., ad cujus probationem dist. ant. cessante fine ultimato, permit. ant. non ultimato, & impulsivo tantum, nec principali, ne. ant., & conseq. concedo equidem D. Petrum, ut Romæ Sedem figeret, Urbis magnitudine, ac Imperii sede fuisse impulsum, ut facilius ex Arce totius Imperii in Provincias subordinatas influeret, & Evangelium propagaret, ac regeret Ecclesiam: at finis primarius fuit Domini præceptum ex Ambros. lib. 5. Epist. 32. & Athanas. Apol. de fuga sua.

111. At quamvis concederetur finem præcipuum D. Petri fuisse amplitudinem Urbis, & Imperii sedem, adhuc tamen nihil officeret; nam successio in sede non ex fine instituentis, sed ex facto successionis metienda est: Hinc videmus, sedem Alexandrinam, & Antiochenam, etiamsi sciamus à D. Petro institutas, ubi Præfectura sublimis eminebat Imperii, quamvis ipsa in iis Urbibus desierit, Patriarchatum adhuc retinere: idcirco Patriarchæ Alexandri-

drinus, & Antiochenus, etsi eorum Urbes in potestatem Barbarorum incidissent, adhuc tamen à Synodis Oecumenicis uti tales agniti sunt ex Synod. 7. & 8. sicuti nec sedem Constantinopolitanam, etsi à Barbaris oppressam, putant Græci idcircò expirasse, alibique translatam; ergò nec Sedes Romana Apostolica, quia Imperium translatum est temporale, Primatum suum spiritualem amisit; ut enim inquit Leo Magnus Epist. 54. *Alia est rerum sæcularium ratio, alia Divinarum: nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamentis posuit, stabilis erit ulla constructio.*

112. Obji. III. Imperatores asserunt, ob magnitudinem Urbis, & Romani majestatem Imperii, Romano Pontifici supremum in Ecclesia Magistratum fuisse collatum; ergò, translato Imperio, translatus est quoque Summus Pontificatus: conseq. patet; Prob. ant. ex Epist. Valentiniani ad Theodos. *Cum igitur Sedis Apostolicæ Romanæ dignitas Civitatis, Sacra etiam firmarit authoritas*. Similia dicit Galla Placidia Constantis Secundi Cæsaris Uxor ad Pulcheriam Augustam scribens; ergò suprema potestas Romano Pontifici collata, est ob magnitudinem sæcularis potestatis Romæ residentis, ergò ipsa cessante, Pontificia quoque desiit, & Constantinopolim translata est.

113. Resp. ne. conseq. nam ex facto Petri, qui Romæ mortuus est, & sedem fixit, Romani Pontificis successio derivatur non ex fine, ob quem sedem fixit, ut superius dictum est in solutione alterius objectionis. Cæterum authoritates adductæ fideliter non citantur: Epistola enim Valentiniani sic habet: *Cum igitur Sedis Apostolicæ Primatum Sancti Petri meritum,*

tum, qui est Princeps Sacerdotalis Coronæ, & Romanæ dignitas Civitatis Sacræ etiam Synodi firmarit authoritas: refundit igitur Valentinianus Romani Pontificis Primatum, non præcisè in Imperii, aut Urbis magnitudinem, sed in meritum Petri Apostolorum Principis. Idipsum facit Placidia loco cit. dixerat enim ante de Ephesino prædatorio, in quo Flavianus fuit interfectus: *Ad Apostolicæ Sedis Judicium, in qua primus Apostolorum B. Petrus, qui etiam Claves Regni Cœlestis suscipiens, Principatum tenuit, Episcopatus Causa mittatur*. In verbis ergò sequentibus vult tantummodo, conveniens fuisse, illius Urbis Pontifici Primatum deberi, in qua Petrus Apostolus Sedem suam fixit, & amplitudine Imperii Orbi præsidebat, non verò precisè ob ipsam Romanam Urbem, quæ potius ob Sedem Petri, quam propter Imperialem Dignitatem longè fuit illustrior, ex Leone Magno Serm. 1. de Nativit. Petri, & Pauli.

114. Obji. IV. Judicium Romani Pontificis, Imperio translato, ad examen fuit ab Episcopo Constantinopolitano revocatum; ergò translato Imperio, supremus quoque Pastoratus Constantinopolim migravit; conseq. patet; Prob. ant. Atticus Constantinopolitanus Patriarcha venientes ad se Pelagianos audivit, etsi à Cœlestino Romano Pontifice damnatos, & ejusdem judicium confirmavit. Idipsum fecit Sisinnius ejusdem successor ex Cœlestino ipso ad Nestorium, neque de hoc à D. August. lib.3. adversus Julian. Cap. 1. aut à D. Prospero Serm. de ingrat. reprehenditur: ergò tribunal Constantinopolitauum Romano superius censebatur.

115. Conf. Episcopi Asiatici hæresis Euti-

chia-

chianæ suspecti, ut se à suspicione purgàrent, & Ecclesiæ reconciliarentur, Libellum fidei professionis Epiphanio Regiæ Urbis Antistiti porrigunt, Hormisda Romano Pontifice minimè reluctante; Flavianus ejusdem Urbis Præsul hæresim Eutichis condemnat. Eutichius Quintæ Synodo præsidet, & Joannes Jejunator Concilium cogit universale; ergò tribunal Constantinopolitanum supremum in Ecclesia censebatur.

116. Resp. dist. ant. dispensatoriè, ac per tolerantiam con. ant. juridicè, & ex officio ne. ant., & conseq. Non enim Atticus, & Sisinnius Pelagianorum causas audierunt, quia sibi competere de jure censerent; sed ex mandato Imperatoris, ad quem Pelagiani confugerant. Utique mos inoleverat in Augustis Orientalibus causas Ecclesiasticas audiendi, ut pluribus exemplis probari posset: at usurpatio hæc fuit Ecclesiasticæ potestatis ex præpotentia Cæsarum originem ducens, Ecclesiastica negotia affectantium, & ex projecta Orientalium erga sæcularem potestatem adulatione proficiscens: quam tamen semper Orientales Patres damnarunt, ut Athanas. Epist. ad Constantium, & Chrysostomus ad Innocen. primum. Quarè Atticus, & Sisinnius male in hoc egerunt, causam judicantes, jam à Superiori Tribunali decisam: at minimè fuerunt à Cœlestino, Augustino, & Prospero reprehensi, quia rectam reipsa sententiam tulerunt Pelagianos iterum condemnantes, quos Cœlestinus passus est denuo audiri, ut damnationis justitia meliùs elucesceret. Nec censuit Imperatorem irritandum, non ita facile à jure, quod sibi competere putabat, removendum.

117. Ad Conf. ne. conseq. nam Epipha-

nius

nius Regiæ Urbis Antistes Episcoporum quidem Orientalium Libellos recepit, sed authoritate ab Hormisda recepta apud Baron. ad annum Christi 520. Flavianus Eutichem quidem damnavit, sed non ultima condemnatione; causam enim retulit Romano Pontifici Leoni Magno ex Epist. 10. quo pacto Episcopis omnibus in Diœcesi sua agere liceret. Joannes jejunator Concilium equidem coegit, Romano Pontifice inconsulto; sed à Pelagio Secundo, & Gregorio Magno gravissimè fuit increpatus, ac Synodus ab eo collecta in irritum missa lib. 7. Epist. 64. qui etiam addit: *Nam de Constantinopolitana Ecclesia, quod dicunt, quis eam dubitet Apostolicæ Sedi subjectam?* Etsi Imperium esset translatum. Eutichius Quintæ Synodo præsedit, sed accersito prius ad præsidendum Vigilio Romano Pontifice, cujus assensus, & confirmatio eam legitimam effecerunt, non autem Eutichis aliorumque Patriarcharum præcisa præsentia.

118. Obji. Ult. ex eo quia Romanus Pontifex in Constantinopolitanos Patriarchas potestatem exercuerit, excommunicando, ac deponendo ipsos, non arguitur ulla super eosdem Superioritas; ergò hæc male asseritur. Prob. ant. nam Dioscorus Leonem Magnum ex act. 1. Chalced., Photius Nicolaum Primum Anathemate, Dignitatis privatione, ex Niceta Paflagone in vita Ignatii, Acatius Felicem Tertium deletione ex sacris Dypticis percussit; nec tamen arguitur super Romanum Pontificem percussorum ulla authoritas; ergò similiter non arguitur in Romano Pontifice.

119. Conf. nam Teophilus Patriarcha Alexandrinus cum Synodo Episcoporum Chrysostomum deposuit, Acacius Talardam Alexandri-

drinum, Synod. Tyri Athanasium, nec tamen quisque legitimam istorum deponentium authoritatem agnoscit; ergò similiter in casu. Facta, non jura sunt: usurpationes alieni juris, non opus legitimæ potestatis; nihil ergò ex jurisdictione super Constantinopolitanum Antistitem exercita licet arguere, cum non sit major ratio cur usurpationes sint istæ, non illæ.

120. Resp. ne. ant. ad cujus probationem ne. conseq. quamvis enim Dioscorus censuram in Leonem Magnum retorserit, id tamen accidit excessivo adeo Ecclesiæ horrore, ut ex ejusdem suffraganeis Episcopis vix aliqui fuerint inventi, qui gementes, & lacrymabundi hujusmodi impietati calculum apposuerint, & propterea, universa Calcedonensi Synodo plaudente, damnationem omnimodam Dioscorus retulit. Nullum verò horrorem, aut admirationem Ecclesia concepit, Romano Pontifice Constantinopolitanos Patriarchas gladio Petri feriente, nec ullus in Oecumenicis Conciliis Romanus Pontifex invenietur, qui usurpatæ notetur jurisdictionis. Quantum verò ad Acatium attinet, utique Felicem à Sacris tabulis erasit; insigni tamen dedecore, cum ex Albo fuerit Catholicorum Antistitum deletus, & quidem adeò severè, ut Ecclesia Orientalis ab Hormisda Pontifice communionem cum Romana obtinere numquam potuerit, Justino Primo Augusto tametsi prò eodem intercedente, nisi priùs in Dypticis restituto Felice, erasis autem nedum Acatio; verum etiam Macedonio, & Euphemio, qui cum Acatio communicaverant, apud Baron. ad Annum Christi 521. Photius horridum quidem illud facinus audacter patravit: at sceleris pœnas luit à Synodo 8. damnatus,

at-

atque Episcopatu spoliatus, universa adversum illum Ecclesia reclamante.

121. Eadem ratione nego conseq. confirmationis, & redditur ratio, cur istæ usurpationes fuerint, non illæ. Nam Romanum Pontificem esse Constantinopolitano Superiorem, habemus ex aliis fundamentis, & ex antiquissima, & pacifica possessione: Theophilus autem Alexandrinus nullo jure Constantinopolitano Episcopo præerat. Non quidem Chrysostomo, ut erat Constantinopolitanus Patriarcha juxta Sanctiones Concilii I. Constantinopolitani, cum in tali hipotesi Chrysostomus esset gradu, & authoritate Superior. Neque etiam illi, quatenus fuisset simplex Episcopus, ullo pacto præerat, qui non Alexandrino Patriarcatui, sed Eraclensi tantum Primati subditus extitisset: quare liquida est usurpatio. Ob eamdem rationem injustissimè Athanasius Secundæ Sedis Patriarcha fuit à Synodo, non Oecumenica in judicium vocatus, ipsomet de Fori incompetentia coram Judicibus protestante, maluit tamen se illi sistere, quam accedere ad Constantinum Magnum Adversariorum fraudibus circumventum. Acatius non authoritate propria, sed Imperatoris Hæretici Joannem Talaidam à Sede ejecit. Potestas verò Suprema Romani Pontificis ab ipsismet Ecclesiæ incunabulis semper mansit immota, quam Episcopi, & Imperatores omnes venerati sunt, Schismaticis, & Hæreticis exceptis; quare Objectiones nullæ sunt.



CAPUT V.

An Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus aliquo gaudeant Ecclesiæ Primatu?

122. NEmo ex præfatis Patriarchis putat se super Universalem Ecclesiam Primatum habere, benè verò in suo Patriarchatu plenissimam potestatem etiam cum Romani Pontificis exclusione, nedum Constantinopolitani Patriarchæ, ut patet de Dioscoro apud Teodoret. epist. 86. ad Flavianum, & de Theodoro Balsamone Schismatis præcipuo promotore ex medit. de Jur. Patriar. Videndum est, an hoc valeant sustinere?

SECTIO PRIMA

Neque Alexandrinus, neque Antiochenus Patriarcha Supremo in ditione sua Primatu gaudent cum Romani Pontificis exclusione.

123. MOveor primò. Quia neuter cuique succedit, qui Alexandriæ, aut Antiochiæ Supremum omninò gesserit Magistratum, atque in eo fuerit Defunctus. Non quidem Alexandrinus; nam licet Divo Marco succedat, qui fuit à Divo Petro constitutus Episcopus, non tamen plenitudinem obtinuit potestatis, aut honoris, quam non in Petro accepit Marcus adhuc superstite remanente, & qui Romæ non Alexandriæ vitam finivit, ibique Sedem fixam Successoribus reliquit. Non Antiochenus: ipse enim succedit quidem Evodio, qui, constituto à Divo Petro Episcopatu, Cathedram illam Sacram post D. Petrum obtinuit: attamen D. Petro ibidem defuncto minimè successit; ergò

non

non succedit in plenitudine potestatis, qua Petrus fulgebat: hanc enim usque ad mortem retinuit eamque Romanis Episcopis reliquit, sed in alia inferiori, Suprema quidem quoad Episcopos sibi subordinatos, sed Alexandrinæ æquali, & Romana, in qua Petrus sedit, & mortuus est, inferiori: sicut ergò nec Marcus, nec Evodius æquales inter se fuerunt, & Petro inferiores, ita de eorum Successoribus respectivè loquendum est.

124. Hanc veritatem Concilia Oecumenica agnoverunt. Nicænum primum nòn Alexandro Patriarchæ Alexandrino, aut Eustatio Antiocheno, sed Romani Pontificis Legatis, nempè Osio, Simplici Episcopo, Vito, & Vincentio non Episcopis, sed puris Presbyteris primum in Synodo locum præbuit. Acta verò Synodi non in solidum à Patriarchis firmata sunt, sed Patres omnes à Silvestro Romano Pontifice confirmationem postularunt, ex lit. Concil. ad Silvestrum collec. Crescon. Synodum quoque minimè Patriarchæ coegerunt, sed Silvester, ex sexta Synod. act. 2.

125. In Ephesina prima Synodo Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, non quà talis Synodo præsedit, sed quatenus Cælestini Romani Ponificis Legatus, ut ex ipsismet Actis perspicuum est; ergò Romanus Pontifex non censebatur Cyrillo æqualis, sed superior authoritate. Joannes Patriarcha Antiochenus Synodo non adstitit: at Synodo celebrata, se Cælestino Romano Pontifici non æqualem, sed inferiorem agnovit, dum pavore depositionis, Nestorio, cui adhæserat, relicto, Romanum secutus est Pontificem Sixtum III. ipsius epist. ad eumdem testante.

126. In Calcedonensi, Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ inferiores authoritate Romano Pontifice agnoscuntur; Nam act. 1. Dioscorus Alexandrinus Præsul, jussu Leonis Magni in judicium vocatur, neque inter Patres sedere permittitur, Concilio minimè contradicente, sed approbante; Act. 3. idem Dioscorus eadem authoritate Romani Pontificis Patriarchatu spoliatur: Act. 10. electio, & ordinatio Maximi Antiocheni Episcopi, etsi aliquo pacto infirmà videretur, recepta tamen fuit, quoniam, ut inquit Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha: *Et Sanctissimus Archiepiscopus Leo in communionem eum recipiens præesse Antiochensium judicavit Ecclesiæ, quam formam sequens, & ipse approbavit, & omne sanctum Concilium.*

127. In quinta Synodo collat. 1. Patriarchæ præfati præsentes ex se quidquam statuere noluerunt, sed accessum, & votum Vigilii Romani Pontificis exquisierunt: nec quidquam Synodus illa voluit, donec assensus ejusdem, & confirmatio accederent; Cætera quoque Concilia idipsum præstiterunt à Romano Pontifice convocata, directa, atque confirmata, non verò à Patriarchis, qui numquam crepido Catholicæ Ecclesiæ, rectæ Fidei fundamentum, interpretes Beati Petri, & organum Spiritus Sancti, sicut in 6. Synod. & Calcedonensi Romanus Pontifex appellatur; ergò hujusmodi Patriarchæ non habent in Patriarchatu suo æqualem cum Romano Pontifice authoritatem.

128. Moveor secundò, quia Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus immediatè per se, vel mediatè per Legatos confirmati, ordinati, depositi, Ecclesia Universali minimè

relu-

reluctante, inveniuntur. Sic Paulinus à Liberio Pontifice per Legatum Luciferum Calaritanum Antiochiæ Patriarcha est institutus, Meletio neglecto, teste Teodoret. lib.7. c.11. Niceph. lib.12. Hist. Hanc autem ordinationem fuisse legitimam, ostendunt Athanasius, & Nitriæ Monachi cum ipso communicantes, ex Facund. Hermian lib.2. cap.2. Alexandrinum quoque Patriarcham à Romano Pontifice per Legatos ordinatum convincit Paulus Tabennensium Abbas Monachorum, quem ad Insulas Alexandrinas evectum, atque ordinatum à Sede Romana per Apocrisarium suum, scribit Liberatus in Breviar. cap.23.

129. III. Authoritate quoque Romani Pontificis confirmari ex veteri consuetudine hosce Patriarchas, docet Fælix Tertius ad Flavitam epist. 3. hinc Petrus Alexandrinus Roma redux, expulso Lucio, fuit receptus, eo quia à Damaso Pontifice fuisse ut talem admissum, literæ ab eodem allatæ testabantur, ex Socrat. lib.7. cap.33. Sic Calendion in sua Sede Antiochena tutò permansurus Romanam postulat ratihabitionem, ex Simplicio Papa ad Acatium Constantinopolitanum. Sic Proterius à Leone Magno ex ejus epist.107. Ab eodem Pontifice, Timotheus, Eluro ejecto, confirmationem postulavit, & obtinuit, ex eodem Leone epist.161. aliique apud Teodoret. l.5. c.23. Socrat. l.1. c.15. & Ambr. epist.78.

130. IV. Hujusmodi quoque Patriarchas à Romano Pontifice depositos, Ecclesia minimè admirante, ostendunt Petrus Grafæus insignis Eutichianista à Fælice III. Patriarchatu Antiocheno nudatus, ex Gelas. ad Euphem. Regiæ Urbis Antistitem, Timotheus Elurus Eutichis lepra infectus à Patriarchatu Ale-

 xan-

xandrino expulsus, ex Simplicio Papa epist. ad Zenonem Augustum: Severus eadem labe conspersus à solio Antiocheno deturbatus, ex act. 1. Synod. sub Menna.

131. V. Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus accusantur Præsuli Romano, judicantur, eorumque lites dirimuntur, ex Julio I. ad Euseb., teste Athanas. Apol. 2. Sic Dionysius Alexandrinus à Catholicis apud Dionysium Papam delatus, atque absolutus fuit, quod quidem judicium Nicænam primam Synodum antecessit. Teophilus Alexandrinus à Joanne Chrysostomo, & vicissim ab eo Chrysostomus apud Innocentium Primum accusatur, & damnatur Teophilus, ex Pallad. in Dialog. Fori incompetentiam neutro adducente. Timotheus Elurus Præsul Alexandrinus ab Anatolio coram Leone Magno, eodem teste ad Leonem Augustum Epist. 73. Dioscorus Alexandrinus à Theodoreto Epist. 86. accusatur. Hoc autem in primitiva Ecclesia notum adeò erat, ut ab Arianis ipsis variorum criminum apud Julium Primum Athanasius uti Reus traduceretur; ipse verò causam agitavit, Athanasio, & Adversariis accersitis, qui tametsi minimè accesserunt, nec tamen Forum ut illegitimum traduxerunt, ex eodem Athanas. Apol. 2. Ita Vitalis, & Paulinus de Patriarchatu Antiocheno apud Damasum rixantes idipsum approbarunt.

132. VI. Iidem Patriarchæ in ipsomet Episcopatu Romano Pontifice inferiores jurisdictione seipsos agnoverunt, ut Athanasius Magnus appellans ad Romanum Tribunal. Apol. 2. Proterius libellum Fidei suæ offerens Leoni Magno Epist. 69. ad eumdem. Dioscorus quoque adhuc Catholicus eidem libellum

Fi-

Fidei porrexit, ac petiit solutionem dubiorum ex mutuis literis utriusque, atque à Leone in Chalcedonensi damnatus de Fori incompetentia minimè excepit, & Eulogius Alexandrinus Doctrina., sanctitateque celebris, Divoque Gregorio Magno amicitia conjunctissimus, se illo inferiorem fatetur, & Apostolicæ culmen sedis extollit. lib.7. Epist.37.

133. Idipsum Antiocheni Patriarchæ præstiterunt, ut Flavianus Meletii loco electus ap. Theodoret. lib.5. cap.23. Evagrius, teste Ambros. Epist.18. Alexander sanctitate conspicuus, ex literis Innocentii primi ad Bonifacium suum ad Cæsarem Legatum. Theodotus vitæ probitate illustris, ex Theodoret. lib.1. Hist. cap.37. Calendion, Flavianus Junior, & alii multi, inter quos Euphemius, qui per Legatos, quos misit ad Synodum, sub Menna, cum cæteris Patriarchis liquidissimè in actionibus, & in Epistolis hujusmodi subjectionem, & inferioritatem fatentibus, conspirat; ergò ex ipsorummet Patriarcharum confessione non æquales sunt; Romanæ Sedi Alexandrina, & Antiochena, sed inferiores, nedum titulo, & honore, sed ipsamet jurisdictione.

SECTIO SECUNDA.

De Patriarcha Jerosolymitano.

134. QUantum ad Jerosolymitanum attinet Patriarcham res caret difficultate; nam D. Petro Apostolorum Principi nulla penitus ratione succedit sedem ibi firmanti, sed Jacobo tantum Apostolo, primo Jerosolymorum Episcopo ab Apostolis constituto; alioquin Ephesina etiam Ecclesia ob Joannem Apostolum ibi sedentem, Patriar-

chalis inter tres cæteras censeretur; quod omnino falsum est: hinc in Nicæna tantum prima Synodo Patriarchalem titulum obtinuit, retenta tamen Cæsareæ Episcopo, quam ante habuerat, obedientia. Quamvis igitur ortus, & institutio, primaque Ecclesiæ propagatio Jerosolymæ contigerit; quia tamen ejusdem supremum Petro regimen commissum est, & in eadem ipsa fundatur, Mat. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, nullam sibi Jerosolymitani Episcopi arrogare æqualitatem possunt cum Romano Pontifice, qui Petri Defuncti Cathedram, & locum tenet.

135. Propterea sanctissimi, & vetustissimi illius Ecclesię Præsules supremam semper, non æqualem Romanorum Pontificum authoritatem agnovere. Anastasius Patriarcha scribens ad Romanum Pontificem Simplicium, hæc habet: *Fuit semper Apostolicæ Sedis vestræ licentia injustè damnatos, vel excommunicatos, Potestatis suæ authoritate restituere, & sua omnia iis reddere, & eos, qui eos condemnarunt, aut excommunicarunt, Apostolico punire privilegio, sicut etiam nostris, & anterioribus novimus factum temporibus &c. Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis Provinciis semper eorum querelis, excusationibus ageretur, non priùs tractandum, aut accipiendum esset, quam ad notitiam Almæ Sedis vestræ esset deductum, ut hujus authoritate justa, quod fuisset faciendum, infirmaretur, aut firmaretur*. Quid clariùs à Latino quoque dici posset Antistite in sedis obsequium Apostolicæ, ejusque defensionem? Sofronius, doctrina, sanctitateque celebris Monachus, ac ejusdem Urbis

Epi-

Episcopus, ad Sergium Bizantinum Præsulem cujus Epistola eruditissima in sext. Synodo act.11. lecta est, ex oriente Monothelitarum hæresi à Sergio, & Cyro excitata, Honorium Pontificem, misso ad hoc Legato Stephano suffraganeo, incitat, ut mentem suam aperiat, erroremque falce Apostolica succidat. Idipsum præstitit Praxilius Acta in Diospolitana Synodo adversus Pelagium Romam transmittens ad Innocentium Primum, ut calculo suo in Orbe universo hæresis illa damnaretur. Eutichius sanctimonia illustris, Gregorio Magno mittit professionem Fidei, ipsique conjunctissimus fuit, ex eodem, lib.9. Epist.4. Martyrius, Elias, Salustius, Schismatico Acacio fortissimè restiterunt, obedientiam Romano Pontifici avellenti, ex Cyrillo Monacho in Vita Sancti Sabæ. Petrus Agapeto Romano Pontifici Privilegia ejusdem sedis extollenti, & confirmanti assentitur, & Antimi hæretici condemnationem approbat. Nec quisquam ante fatale schisma ex illius Urbis Episcopis adduci potest, doctrina, & pietate insignis, qui se parem Romano Pontifici fecerit, nec supremam ejusdem potestatem agnoverit; ergò reverà non est æqualis in potestate Romano Pontifici.

SECTIO TERTIA

Eliduntur Objecta.

136. OBji. I. Sic: Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus Petro succedunt, sedes illas olim occupanti, aut instituenti. II. Sedes hujusmodi in Synodis Oecumenicis Apostolicæ nuncupantur, & signan-

ter in sexta, septima, & octava. III. Vocantur Papæ. IV. Synodus Nicæna prima can. 6. Diœceses ipsis æqualiter cum Romana dividit. V. Decreta Fidei efformant, ut Alexander contra Arianos, Teophilus contra Origenistas, Cyrillus contra Nestorium. VI. Ordinant, & deponunt Episcopos sibi subjectos.

137. Resp. facile ad omnia hæc. Primum non habet difficultatem: isti enim Patriarchæ, dempto Jerosolymitano recenter erecto in Synodo Nicæna prima, Petro quidem aliquo pacto succedunt Episcopatum instituenti, & ad tempus ibidem moranti, non tamen defuncto; Romæ enim Petrus obiit, ibique sedem fixit: Successio autem vera in dignitate non ante, sed post mortem physicam, aut moralem Prædecessoris contingit.

138. Ad secundum respondeo, sedes hujusmodi dici quidem à Patribus interdum Apostolicas, sed assignata Urbe Episcopatus, nempe Alexandrina, aut Antiochena: Sedes autem Romana dicitur absolute Apostolica, per quam semper intelligitur Romana, ut patet ex August. de verb. Dom. in Causa Pelagianorum: *Ab Apostolica Sede rescripta venerunt, causa finita est*; ibi autem intelligitur Romana, quæ causam definierat, nempe Innocentius I., & Zozimus Romani Pontifices. Idipsum habetur in Calcedon. act. 1. ubi Leo Primus dicitur Apostolicus vir, & officium ejus Apostolatus, quo nomine se antiquissimi Pontifices inscribunt, ut Xistus Primus epist. 2. Victor Primus epist. 1. Leo Primus epist. 54. & alii quamplures.

139. Tertium, nimis probat, cum olim nomen Papæ nedum Episcopis, verùm etiam Presbyteris fuerit commune; significat enim

Pater-

Paternitatem; hinc Græcorum Euchologion Simplices Papas, seu Presbyteros commendat. Eodem quoque nomine Episcopi illustrati sunt, ut Divus Augustinus à Hieronymo, Castor à Cassiano, Episcopi omnes à Sydonio Apollinari, Primusque Clericorum apud Græcos Protopapa vocatur. Nemo tamen Universalis Ecclesiæ Papa dicitur, nisi Romanus Pontifex, ex Calcedon. act.1. Nec quisquam absolutè Beatissimus, aut Sanctissimus Papa dicitur, nisi ipse, ut patet ex Synodo sub Menna, & Calcedon. act.16., ex Synodo 7. ex Liberato cap.22., ex Petro Antiocheno Patriarcha Schismatico, ad Graden. Archiepisc. Illi ergò Patriarchæ tales dicuntur relatè ad Ecclesiam suam particularem, non ad Universalem: Romanus autem absolutè dicitur talis, & in ordine ad Ecclesiam Universalem.

140. Ad Quartum malè asseritur, Ecclesiam æquali portione tribus Patriarchis fuisse à Nicæno primo distributam, qui culmen Romani Pontificis in Ecclesia optimè novit; vult quippe antiquos servari mores, & unicuique sua privilegia servari: ab antiquissimo autem tempore ante Nicænam primam Synodum, Primatus Romani Pontificis fuit agnitus; hinc Nicolaus I. ad Michaelem Augustum, etsi inimicum suum, nequaquam scribere veritus est: *Non Nicana, non denique ulla Synodus Romanæ contulit Ecclesiæ privilegium absolutè super omnes Ecclesias Primatus.* Idipsum antea Fælix Tertius in causa Acatii, & longè antiquior Innoc. Primus ad Aphros. epist. 93. scripserat; sensus igitur canonis nullus alius esse potest, nisi Alexandrinum Patriarcham, & Antiochenum Presulem Diœcesibus suis ita præesse, sicut eis Romanus

nam Zacchar. Schismaticus Calcedonensis Antistes act. 6. Syn. 8. interrogatus, an Decreta Nicolai I. aliorumque Romanorum Pontificum reciperet? respondit: *Et Papæ Nicolai, & cæterorum Patriarcharum Canon Princeps est, & secundum illum agentes, non faciunt, id quod extra docetur: Cum ergò extra hunc faciunt, sive Papa Nicolaus, sive alius quis, non aquiescimus.* Similia eructat act.7. Euschemius Cæsariensis in Cappadocia Archiepiscopus Schismaticus. Hic igitur examinandum est breviter, an Romanus Pontifex supra Concilium fit, vel potius sit eidem authoritate inferior? Ut autem res melius tractetur

144. Notandum est, Concilium Oecumenicum tripliciter posse spectari. I. Quatenus, nedum Patres, verùm etiam ipsummet Summum Pontificem Synodo assistentem, & præsidentem continet. II. Quatenus Patres, & Legatos ejusdem Summi Pontificis complectitur, ipso absente. III. Quatenus solos Patres continet, & à quacunque ejusdem Pontificis Præfectura præscindit. Hìc non est Quæstio in primo sensu: nam nemo adeò desipuit, ut Summo Pontifice præsente, ac simul cum Patribus diffiniente assereret, Concilium esse ipso superius, tunc enim esset superius semetipso; sed oritur difficultas an Patres cum Legatis Apostolicæ Sedis, seu absque ipsis sint ipso Summo Pontifice superiores; ita ut ipsis sive in Fidei sive in morum Decretis à Summo ipso Pontifice obtemperari debeat?

SE-

tifice Romano, & participativè in Concilio.

147. Quod quidem etiam à Deo firmatum est, dum Deuteron. 17. 8. litigantes Judæos prò dubiis dirimendis, & ad veritatem habendam, non ad ſenum Concilium, ſed ad Summum Pontificem remittit à Concilio contradiſtinctum, eique obedientia ſub pœna mortis præſcribitur, & propterea Urim, & Tummim veritatem, & judicium indicantia, in ſolo pectore Pontificis viſebantur; hinc Joan. 13. 14. Chriſtus Dominus ſoli Pontifici ſiſtitur judicandus; ergò cum Eccleſia ſit longè Synagoga nobilior, ejuſdem Pontifex tota Eccleſia etiam in Synodo congregata erit ſuperior, uti Pontifex erat ſuperior Synagoga Judæorum.

148. At longè robuſtius ex Scripturis novi Teſtamenti eadem veritas eruitur: nam Lucæ 22. 31. coram omnibus Apoſtolis, non eiſdem ſimul ſumptis, ſed ipſi Petro ab eiſdem diſtincto, ait Dominus: *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi prò te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma Fratres tuos*; quo loco Patres utuntur ad Petri Primatum oſtendendum, ex Epiſt. Agatonis Papæ act. 4. & 8. Synodi ſextę lecta, & Mat. 16. 18. ubi cum Chriſtus Apoſtolis præſentibus Petri confeſſionem commendaſſet, ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quo loco Patres utuntur ad oſtendendum Petri Primatem, ut Baſil. lib. 2. contra Eunom. Epiphan. in Ancor. Cyrill. Alex. lib. 2. cap. 2. in Joan. ex quibus textibus habetur pertinere ad Petrum, pro cujus fide ſervanda, dixit Chriſtus ſe oraſſe, Fratres confirmare, non vero Petrum confirmari à

Fra-

Fratribus! Petrum esse fundamentum, in quo erat Ecclesia ædificanda, præ cæteris Apostolis: hæc autem omnia falsa essent, si Papa Concilio esset inferior; tunc enim non ipse, sed Concilium esset fundamentum, non Petrus Fratres confirmaret, sed Petrus à Fratribus in Fide confirmaretur; ergò &c.

149. Nec juvant hic distinctiones de Ecclesia, Fideles denotante distributivè, aut disjunctivè, non autem collectivè in Synodo congregatos. Nam Christus Dominus ait se ædificaturum Ecclesiam suam super Petrum! sed Ecclesia ædificanda non erat solummodo non congregata in Synodo, sed absolutè, & secundum se; ergò multo fortius in suo repræsentante, nempe Synodo, sicuti sive dispersa, sive congregata fundabatur in Christo, adeoque erit subdita Petro, ejusque successoribus.

150. At validius adhuc Joannis 21. 17. idipsum evincitur, ibi enim coram omnibus Discipulis, Petro ter interrogato, an ipsum amaret, & affirmativè semper respondenti, dixit: *Pasce oves meas*, ex quo loco colligunt Patres Petri Primatum, ut Chrysost. in hunc locum, Epiphan. in Ancor. Teofilac. in cap. ult. Joan. at ex hoc loco clare deducitur superioritas Pontificis, etiam Oecumenicæ Synodo; ergò &c. Prob. min. Christus Dominus ibi omnes oves suas committit Petro, & successoribus pascendas; nullam enim excludit; ergò etiam commendat Petro in Synodo congregatas; ergò Petrus etiam illarum est Pastor supremus loco Christi, cujus omnes oves Petro commendantur sive præsentes, sive futuræ, sive copulativè, sive disjunctivè. Hinc Joan. 10. 16. dixit Salvator: *Alias oves* ha-

habeo; quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus Pastor. Ergò omnes oves futuræ reducentur ad ovile insimul congregatæ, cujus curam geret Pastor, loco Christi, nempe Petrus, sed ovile plenum dicit omnium congregationem ovium, nedum disjunctivè, sed collectivè, sive in se, sive in repræsentante; ergo etiam istarum Pastor curam geret loco Christi; igitur etiam oves præsentes.

151. Nec refert, Christum non expressisse omnes penitus oves per verbum *omnes*, nam ponendo ly *meas*, dicit omnes, quo pacto Christus ait Joan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*, quem locum de Prædestinatis intelligit præ cæteris Patribus August. de correp. & Grat. cap. 9. & tract. 45. in Joan. Nam ibi comprehenduntur per ly *meæ*, omnes Prædestinati, nemine excepto: cum verò vult excipere, excipit, uti facit Joan. 17. 12. cum dicit: *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis*; ergò cum Petro, ejusque successoribus commiserit oves suas, illas commisit etiam collectas, & multò fortius in suo repræsentante per Synodum.

SECTIO SECUNDA.

Idipsum ex Conciliis evincitur.

152. Sacra Concilia Oecumenica veritati huic haud obscure adhærent: Nam Ephesini primi Patres uno agmine approbant Epistolam Capreoli Carthag. Primatis peten-

tis,

tis, examini nequaquàm subjici Pelagianorum Dogma jam à Sede Apostolica proscriptum, idipsum ad Cœlestinum Papam scripto confirmantes. Item Cœlestinus Papa; id quod vult in Synodo fieri per Legatos, præscribit, nempe Nestorii damnationem: omnes Patres annuunt, & Pontifici, ac Legato ejus Cyrillo Alexandrino plaudunt: *Novo Paulo Cœlestino, novo Paulo, Cyrillo*. Tandem authoritate Cœlestini se dicunt ad Nestorii damnationem compulsos: hæc autem omnia Concilii super Papam superioritati minimè quadrant; ipsa enim stante, mandata Pontificis non exequi, sed examini subjicere debuissent; igitur censebant Patres, seipsos Papa inferiores, etsi in Concilio congregatos.

153. Calcedonensis Synodus sexcentis, & triginta Patribus conflata, præsente Marciano Imperatore celebrata, idipsum sensit. Act. enim prima Dioscorus Alexandrinus Patriarcha præcipiente, per Paschasium, & Lucentium Legatos suos Leone Magno Summo Pontifice Romano, in numerum Reorum redigitur, nec permittitur inter Patres sedere; Synodus autem obtemperat. Eadem Act. Theodoret. in Ephes. II. Episcopatu spoliatus, admittitur, ut vocalis: *Quia restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo*, quod quidem evenisse Episcopis in eodem Ephesino lapsis, elicitur ex Act. 3. & Evagrius testatur lib. 2. cap. 18. & Gelas. ad Episcop. Dardan. Epist. 3. cap. 2. eadem quoque act. Dioscorus Patriarchatu spoliatur, præcipiente Leone Magno Pontifice, sententiæ Concilio subscribente, non autem ad examen vocante. Act. 5. cum Patres Synodi ex semeptisis Decretum Fidei edidissent, cui firmiter adhærebant, quia tamen

Apo-

Apostolici renuebant Legati ob vocum aliquarum obscuritatem assentiri, statim sententiam mutarunt clamantes: *Ut Leo sic credimus: Leo rectè exposcit*; hinc Judices Assessores; *ergò addite definitioni, secundum judicium S. Patris nostri Leonis illam esse*: hæc autem omnia hucusque recensita non bene cum superioritate Concilii cohærent, ipsius enim definitio, si superius fuisset Pontifice, adhuc substitisset, veluti regula Fidei, tametsi Legati, & Leo ipse repugnassent, nec Dioscorus diceretur à Leone depositus, nec Teodoretus restitutus, nec Hæreticus fuisset creditus, qui Epistolæ Leonis contradixisset; ergò censebat Concilium, se non superius; sed inferius authoritate Romano Pontifice.

154. Sexta Synodus eadem eructat: nam act.8. recipit literas Agatonis Papæ: *Tamquam ex Spiritu Sancto directas per os Sancti, & Beatissimi Principis Apostolorum Petri*; in his autem Principatus absolutissimus Romani Pontificis commendatur, dum dicitur: *Hujus authoritatem utpotè Apostolorum Omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt*. Ipsamet VI. Synodus scribens ad Imperatorem Constantinum Pogonatum: *Confessionem*, inquit, *tibi à Deo inscriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & Dogmatum Diem à Vespertinis partibus extulit. Cartha, & atramentum videbatur, & per Agatonem Petrus loquebatur*: & Imperator ipse ad Synodum Romanam ab Agatone prò Legatis mittendis coactam: *Interfuistis namque & vos cum Universali Principe Pastorum simul cum ipso divinitus loquentes*. Subdit, à Leone Magno Eutichem prostratum; ait enim: *Leo-*

nis

nis tuba, tamquam Leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma interim Archimandritam bestiam perterruit, & à Monastico Grege projecit, ejusque phantasiam, atque putationem reprobavit, & evanescere fecit injustam turbulam; igitur si literæ Romani Pontificis per os Divi Petri Apostolorum Principis à Spiritu Sancto dictantur: si authoritatem ejusdem veluti Apostolorum Principis semper Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi secutæ sunt: si per Summum Pontificem Romanum Petrus loquitur: si ipse Romanus Pontifex est universalis Princeps Pastorum: si Romanus Pontifex hæresim excudit, quomodo est Concilio inferior, cui omnia ista non competunt, nisi ratione Romani Pontificis Synodos dirigentis?

155. Octava Synodus idipsum profitetur, dum Can.2. jubet intemerata, atque inconcussa Nicolai Primi, atque Adriani Secundi Decreta servari, eo quia Nicolaus *organum* erat *Spiritus Sancti*, & Adrianus Secundus ejus locum tenebat: vetat quoque Can.21. Patriarchas vexari expulsione, conviciis, aut scriptis; subdit verò: *Porrò si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia, quævis ambiguitas, & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices*; ergò si Romanus Pontifex est Organum Spiritus Sancti, audiri debet, interrogari, & ab eo solutio expectari, nec sententia contra eum *audacter* dici: Concilio superior est; alioquin non esset Organum Spiritus Sancti, sed Concilium, à quo solutio expecta-

pectari deberet! non à Pontifice adversus eum posset *audacter* sententia dici, alioquin Dioscori damnatio incurreretur, ausi nimis temere in Romanum Pontificem insurgere, ut optime Synodus Romana contrà Photium invasorem sedis Constantinopolitanæ.

SECTIO TERTIA.

Idipsum rationibus ostenditur.

156. PRimò enim Synodi Oecumenicæ à Summo Pontifice Romano confirmationem petunt, ut patet ex Nicæna Prima à Sylvestro, & ex Constantinopolitana prima à Damaso, ex Calcedonensi à Leone Magno, ex Synodo 6. à Leone Secundo, ex 8. ab Adriano Tertio, postulantibus confirmationem, qua deficiente, Ephesinum secundum, & Trullense numquam prò legitimis Conciliis ab ipsismet Orientalibus habita sunt, & idcircò Trullanum magna adeò solicitudine ratihabitionem Pontificis, authoritate Cæsarum interposita, requirebat: si autem Concilium esset Romano Pontifice superius, nulla ipsius indigeret confirmatione, sine qua ejus decreta vigorem haberent majori authoritati innixa.

157. Secundò, Romanus Pontifex Conciliis Oecumenicis imperat, cujus præcepta religiosè censent servari oportere, ut patet ex prima Synodo Constantinopolitana, cujus asserunt Patres simul convenisse ex eorum ad Damasum Primum Epistola. Patres Ephesini I. apertè testantur, se Nestorium damnasse, urgente Cœlestini primi præcepto, qui regulam damnationis eisdem præscripserat. Act. 1. & 2. Epist. ad Imperat. dum ait. *Cœlestinus Sedis Apostolicæ Episcopus, ea per Epistolam ad*

Cy-

Cyrillum piissimum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum de præsenti hac causa, & controversia præscripsit. Calcedonensis Synodus Dioscorum se coegisse, ut reum sisti, ac spoliasse Patriarchatu profitetur, quia id Leo Romanus Pontifex mandaverat act. 1. & 3. Synodus octava act. 5. se ideo Photium intrusum Patriarcham damnasse affirmat, quia Nicolaus Primus, & Adrianus Secundus ita mandaverant; nequit autem intelligi Synodum Oecumenicam debere Romano Pontifici obtemperare, & ipsi esse authoritate superiorem.

158. Tertiò, Summus Pontifex Romanus Concilia irritat, & invalidat Oecumenica, quale fuit Ephesinum secundum, quod quidem ideo repellitur, quia Leo Magnus illud reprobavit, & Ariminense, numquam in Ecclesia receptum, quia Liberii Summi Pontificis calculo approbationis destitutum. Neque ulla Synodus invenietur quam Ecclesia Catholica legitimam, atque Oecumenicam censuerit, cui Romani Pontificis confirmatio desit.

159. Quartò, Romanus Pontifex absolvit à Concilio damnatos, eosque in pristinum restituit gradum, quod sanè si eo inferior esset, minimè posset efficere; neque ipsi permitteretur. Ephesina Prima Synodus Nestorium, ejusque Sectatores anathemate, ac depositione mulctaverat, & tamen Cælestinus Primus epist. ad Cyril. Alexand., reliquit quidem Authores in statu damnationis; consortes verò si resipiscant, admittit ad veniam, & Joannem Antiochenum Patriarcham Nestorii defensorem, at correctum Xistus Tertius amanter recepit, ex epist. Xisti ad eumdem. Idipsum in Calcedonensi accidit, ubi Episcopos omnes,

qui

qui prædatoriæ Ephesinæ Synodo assensum præbuerant, pœnitentes sola Sedes Apostolica potuit excipere, & in Synodo uti Judices admittere, teste Evagrio lib.2. cap.28. & Macarium Patriarcham Antiochenum Monothelitam Romam missum à Synodo 6. cum sociis Stephano, Polycronio, & Epiphanio Benedictus Secundus utique in pristinum restituisset, si pœnitere voluisset ex act.1.Synod.7. Idipsum in 8.quoque Synodo agnoscitur, ubi habentur epistolæ Ignatii Patriarchæ, & Imperatoris Basilii, quibus rogatur Pontifex Adrianus Secundus, ut promotis à Photio Ecclesiasticis lapsis veniam, & restitutionem largiri dignaretur, nec tamen impetrare potuerunt.

160. Cum ergò divinæ Scripturæ potestatem omnem D. Petro, & successoribus ejus à Christo Domino Collatam affirment: cum ipsum asserant esse caput Ecclesiæ, Pastorem, ejusdem omniumque Fidelium Patrem, atque Magistrum, Ducem, atque Rectorem, quem constituit Dominus super familiam suam: omnes istas prærogativas Synodi ferè omnes Oecumenicæ testentur, & facto comprobarint, à Romano Pontifice Actorum omnium confirmationem, non purum assensum postulantes, ut ex ipsismet Actis patet Conciliorum, Epistolisque Pontificum: Cum judicium ejusdem censeatur ultimum, & supremum, ipsiusque potestas non à Synodis, sed ab ipsomet Salvatore profecta sit, & immediate collata, ipsismet Synodis ultro fatentibus; cum rationi ipsi naturali repugnet, Caput subesse membris etiam unitis, quoties non à membris sed à Deo suum esse habuerit, concludendum est, Romanum Pontificem esse Concilio Oecumenico authoritate Superiorem, non è contra.

SE-

Solvuntur Adversariorum Argumenta.

161. OBji. I. Divinæ Scripturæ tribuunt Ecclesiæ supremam authoritatem; ergò Concilia Oecumenica sunt authoritate Romano Pontifici superiora: conseq. patet, nam Oecumenica Concilia Ecclesiam repræsentant, ant. autem habetur 1. ad Timot. 3. ubi Ecclesia dicitur *Columna, & firmamentum veritatis,* & Mat. 18. 17. peccantes, qui nolunt emendari correctione privata, Ecclesiæ deferuntur; ergò Ecclesia est supremum tribunal, ergò etiam Concilium illud repræsentans.

162. Confir. I. Ecclesiæ in nomine suo pollicetur Christus infallibilitatem: Mat. 18. 20. ubi dicitur: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: ergò etiam Conciliis Oecumenicis repræsentantibus pollicitus est Christus; ergò &c.

163. Confirm. II. Romanus Pontifex est Filius Ecclesiæ; ergò subjicitur Ecclesiæ; ergò etiam Synodo Oecumenicæ ipsam repræsentanti, eo magis quia potest stare Ecclesia sine Pontifice sive tempore schismatis, sive post ejusdem obitum, usque ad novam electionem; ergò Ecclesia est à Pontifice independens, adeoque ipso Superior in Synodo eamdem repræsentante.

164. Resp. ne. conseq., ad cujus probationem, ne. à Concilio contradistincto à Capite Romano Pontifice Ecclesiam repræsentari, quæ est corpus perfectum, ex Paulo ad Rom. 12. 4. Corpus autem caput includit tamquam membrum præcipuum, à quo cætera alia influxum hauriunt; & idcircò non perfectè, sed imper-

imperfectissimè à Concilio repræsentatur Romanum Pontificem ut caput excludente, & in tali casu Ecclesia dici nequit columna, & firmamentum veritatis, cum Petrum excludat, in quo Ecclesiam suam dixit Christus esse ædificandam: tunc enim neque à Christo ipso influxum habet, quem, Petro mediante, se daturum Ecclesiæ pollicitus est; quare cum in Scripturis dicitur Ecclesia infallibilis, idcircò dicitur talis, quia capiti adhæret visibili à Christo invisibiliter influxum obtinenti, propterea Epiphan. in Ancor. *Dominus*, inquit, *constituit Petrum primum Discipulorum, petram firmam, super quam Ecclesia ædificata est*; ob quam rationem Ecclesia dicitur columna, & firmamentum veritatis juxta Oraculum Christi, Mat. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Peccantes autem non deferuntur Ecclesiæ à Pontifice Romano contradistinctæ, sed aut Ecclesiæ ipsi cum capite suo, uti fit in Synodis, & causæ agitantur Hæreticorum, qui publicam merentur condemnationem; aut Prælato Ecclesiæ, qui reum publicè corrigere debet, quoties privata reprehensio minimè sufficiat. Et profectò singuli Præsules Ecclesiarum sibi dictum in Apostolis putant: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata, & in cælis*.

165. Ad primam confirmationem conc. ant., & ne. conseq. nam Synodus à Romano Pontifice contradistincta, etsi nomine Christi, idest Petri Christi locum in Terra tenentis, collecta, legitima sit, non tamen perseverat collecta in nomine Christi, nec in ejusdem nomine fiunt decisiones, quoties à Romano Pontifice contradistinguatur, qui tenet locum Christi, & Petri in Terris, adeòque quidquid

circa mores, aut Fidem definiat, neque à Petro, neque à Christo ratum habetur, & consequenter neque ab Ecclesia Christi.

166. Ad secundam confirmationem neg. conseq., etsi enim Romanus Pontifex Ecclesiæ sit Filius per nativitatem spiritualem, ejusdem tamen Pater efficitur per Canonicam electionem, uti Episcopo ejusdem Diœcesis, cujus est Pater, minimè repugnat esse Filium, nec eumdem esse Regem & Regis filium; quare sicuti Ecclesia particularis, cujus Episcopus est filius, non desinit ipsi esse subjecta, neque Parens Regis ipsimet Regi, ita Ecclesia universalis non desinit subdi Romano Pontifici, etsi ipse filius sit Ecclesiæ universalis.

167. Quod verò additur, ad rem minimè facit; neque valet conseq. manet quidem Ecclesia schismate vigente, aut Defuncto Pontifice; at manet imperfecta, utpote capite visibili destituta; sicut manere quidem potest corpus capite truncato, imperfectum tamen, & mutilum, propterea etsi regatur Ecclesia schismate durante, ac Pontifice defuncto, non tamen perfectè, tunc enim nec Fidei controversiæ nec aliæ causæ majores ultimata possunt decisione finiri, sed Petri successor expectandus est, cui dixit Dominus Mat. 16. 19. *Et quodcunque ligaveris super Terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solveris super Terram, erit solutum, & in Cœlis.*

168. Obji. II. à sententiis Romani Pontificis ad supremum Ecclesiæ Tribunal provocatum est, eadem minimè horrente, aut Synodo appellationem respuente; ergò Romanus Pontifex non est supra Concilium, sed infra ipsum, conseq. patet, Prob. ant., nam in Ecclesia præcisè Orientali Nestorius à Cœle-

stino

ftino I. damnatus ad Synodum Oecumenicam provocavit, teste Liberato cap. 12. Breviar. Idipsum fecit Eutiches à Leone Magno, qui Epist. celeberrima ad Flavianum errores ejusdem Hæretici proscripserat, ad Concilium Oecumenicum appellans, Ecclesia minimè reluctante, & propterea Ephesinum secundum collectum est; ergò Concilium Oecumenicum est Romano Pontifice authoritate superius.

169. Resp. I. dist. ant. à Sede Romana ad Concilium appellatum est, de facto con. ant., de jure ne. ant., & conf. Nestorius quidem, & Eutiches ad Synodos generales Ephesinam primam, & secundam provocarunt: at quæstio est, an de jure, rectè, ac validè appellaverint; hinc cardo vertitur difficultatis; Ideo autem Summi Pontifices Cœlestinus primus Ephesinam primam, Leo autem primus Ephesinam secundam celebrari permiserunt, ne aliquod majus Ecclesiæ, ob Imperatoris Theodosii Junioris ab Hæreticis turpiter decepti, adveniret incommodum, & eo etiam casu Legatos miserunt, qui nomine suo eisdem præsiderent: at quia in Ephesina secunda Legati Apostolici præsidere à Dioscoro Alexandrino Patriarcha nequaquam permissi fuerunt, sed ipse præsidentiam, & regimen Synodi usurpavit; idcircò in Synodo Calcedonensi Patriarchali dignitate de mandato ipsi Pontificis fuit nudatus, nec sedere in Synodo permissus, ex act. 1. & 3. ejusdem. Nec verum est, Ecclesiam hujusmodi provocationi assensisse, sed potius exhorruit novitate, audaciæ perculsa, Augustumque doluit circumventum fraudibus Hæreticorum; quales fuerunt hujusmodi appellantes, nempe Nestorius, & Eutiches.

170. Resp. II. dist. ant. appellatum est à Romano Pontifice ad Synodum, cujus caput erat Romanus Pontifex mediate, vel immediate; transf. ant. ad Synodum à Romano Pontifice contradistinctum ne. ant. & conseq. Nestorius, & Eutiches appellarunt quidem, sed ad Synodum juxta regulas antiquas Ecclesiæ celebrandum, Romani scilicet Pontificis assensu, atque directione celebrandum: quod sanè in Ephesino primo præstitum est, omnia Cœlestino I. Romano Pontifice disponente, Actaque confirmante. Quia verò in Ephesino secundo omnia nutui Dioscori subjacebant, Romano Pontifice in suis Legatis exclusо, propterea Synodus illa non Ecclesiæ Concilium, sed Synagoga Satanæ semper est habita, & in subsequenti Calcedonensi cum Actis suis extincta.

171. Obji. III. Concilium Oecumenicum in Romanum Pontificem jurisdictionem exercuit, & exercere potest; ergò Romanus Pontifex Synodo Oecumenicæ subjicitur. Conseq. patet. Prob. ant. nam Synodus sexta omnium opinione legitima, atque Oecumenica Honorium Romanum Pontificem, causa formiter instituta, anathematis sententia mulctavit, ex Act. Synod. VI. & habetur quoque in septima, & octava Synodo, ubi eisdem censuris afficitur. Hanc damnationem Leo Secundus confirmat, Epist. ad Constant. Imperat., & Epist. 2. ad Episcop. Hispan; ergò Synodus Oecumenica in Romanum Pontificem authoritatem exercuit.

172. Idipsum asserit Synodus Constantiensis à Martino Quinto approbata sess. 2. Can. 1. definiens, quod ipsa *In Spiritu Sancto congregata legitimè, Generale Concilium faciens,*

ciens, Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, extirpationem dicti schismatis, & reformationem Ecclesiæ Dei in capite, & membris &c. Quam quidem authoritatem exercuit, ne dum schismaticos Pontifices deponendo, sed decretum de Fide edendo, quo errores Joannis Hus, & Hieronymi de Praga proscinduntur, & communionem sub utraque specie decernendo minimè ad salutem necessariam.

173. Conf. nam alii quoque Pontifices à Synodis fuere depositi. Synodus Romana Joannem duodecimum ob gravissima scelera, ipsi à Clericis objecta, instituto formali judicio, deposuit, apud Baron. ad Annum Christi 936., & Constantinus, qui Paulo Primo successit, in Synodo Romana eamdem pœnam retulit, teste Anastas. Bibliotec. in Stephano tertio, qui Constantini locum obtinuit; ergò Ecclesia Potestatem habet Pontificis etiam citra hæresim deponendi; ergò Eadem est authoritate superior in Synodo eamdem repræsentante.

174. Resp. ne. ant., ad cujus probationem, data narrationis veritate, permittendo, ne. conseq. nam Honorius tunc, si verè hæresim admisisset, à Pontificatu ipso decidisset; vel saltem fuisset incertum, an verè in ipso permaneret; quare nulla tunc admiratio subiisset, aut ex se depositum, aut saltem dubium Pontificem in judicium vocari. Si autem Acta sextæ Synodi Græcorum vafritie corrupta dicantur, nomenque Honorii, loco Theodori Constantinopolitani Patriarchę Mo-

notelitæ appositum, nec levia hujusmodi corruptionis inditia desunt, uti plerique Viri Doctissimi contendunt, apud Berninum Hist. hæres. tom. 2. sæcul. 7. cap. 13. arbitrantes quoque, Synodum sextam à Leone Secundo absque mixtione Honorii fuisse confirmatam, Epistolasque illas ad Constantinum, & Hispaniæ Episcopos datas esse spurias, aut corruptas, argumentum corruit. Sive ergò fuerit reipsa damnatus Honorius, sive non, adversus nostram Thesim nihil concluditur, cum probari debeat, Romanum Pontificem actu existentem, nec hæreticæ labis ullo pacto convictum, quo casu à Pontificatu à seipso definit, judicio Synodi Oecumenicæ fuisse subjectum.

175. Quantum verò ad Constantiense Concilium, ne. conseq.; priora enim decreta, in quibus continetur hujusmodi subjectio, de tempore schismatis loquuntur, ad quod extirpandum illa Synodus collecta est, & propterea ad illud extinguendum, depositis tribus Pontificibus dubiis, Martinus Quintus in ea canonicè fuit electus, à quo Actorum confirmationem postulavit, & obtinuit, sess. 45. quod sanè minimè fecisset, si eum sibi subditum existimasset.

176. Cæterum Decreta adducta, etsi absolutè loquerentur, nullam penitus vim habent, cum ipsa non ab universa Synodo condicta fuerint, trium Pontificum obedientiis conflata, sed à sequacibus tantùm unius Pontificis, nempe Joannis vigesimi tertii, & quidem non omnibus, ut patet sess. 4., & 5. cum adhuc Præsules aliarum obedientiarum minimè accessissent, & propterea neque Martini Quinti confirmationem obtinuerunt, qui palam

Iam protestatus est in Bulla confirmante, se illa tantummodo, quæ conciliariter acta sunt, approbare, non verò alia, quæ tumultuariè, atque à parte tantum Synodi prodierunt: hinc Martinus præfatus statim, electione sui secuta, constitutionem edidit, in qua, multis Concilii Patribus præsentibus, hæc habet: *Nulli fas est à supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in Causis Fidei, quæ tamquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferenda sunt, declinare*. Quæ sanè cum superioritate Concilii ad Papam minimè componuntur.

177. Quamvis autem Synodus Constantiensis decreta de Fide ediderit, & Hæreticos damnaverit, id nihil officit; si enim decreta revera renoventur, & hæreses jam proscriptæ damnentur, hoc omnibus etiam Provincialibus Synodis est commune; si verò nova prodeant, & ob ipsa Hæretici damnentur, hic est cardo difficultatis, an obligent de Fide, Pontifice non adhuc consentiente, vel respuente. Ideò autem nunc Joannes Hus, & Wicleffus habentur prò damnatis, quia Synodus condemnans à Martino Quinto confirmationem obtinuit, & justè combusti sunt, quia errores antiquos renovarunt jam proscriptos, ab eis recedere nolentes.

178. Ad Conf. ne. conseq. nimis enim probat; evinceret quippè etiam Synodos Provinciales esse Romano Pontifice superiores. Itaque Joannes Duodecimus Othonis Imperatoris præpotentia, non jure fuit depositus, & propterea expulso Leone VIII. ab Othone instituto, iterum ad Sedem ascendit, ap. Baron. ad An. Christi 963. Constantinus non

verus Pontifex fuit ex laico repente Papa effectus; atque proinde decreto Synodi justissime ad pristinum statum redactus, apud Anastas. Bibliothec. ibidem. Verum, certum, & legitimum, nec schismaticum, aut hæreticum à Synodo generali depositum fuisse Pontificem probandum est, alioquin nihil efficitur.

179. Obji. IV. Summi Pontifices asserunt, se Decretis Conciliorum esse subjectos: non posse agere contra statuta majorum: Fideles omnes nolentes resipiscere debere vitari veluti ethnicos, & publicanos, etiam ipsum Episcopum Romanum: se non posse agere contra Canonum Decreta, absque sui officii discrimine: Ecclesiam gubernari oportere, ut in gestis Conciliorum, & Sacris Canonibus continetur; ergò Episcopus Romanus Oecumenico Concilio est subjectus.

180. Conf., ipsimet Romani Pontifices supremam in Synodis authoritatem agnovere. Marcellinus in Synodo Sinuessano crimen suum externæ idololatriæ confessus, & sententiam expectavit, apud Baron. ad Annum Christi 302. Sixtus Tertius Synodo se sistit criminationibus à Basso impetitus, ex eodem Baron. ad Annum Christi 433. Symmacus calumniis laniatus coram Synodo, jussu Theodorici Italiæ Regis coacta, causam suam agit, & obtinet absolutionem. Idipsum contigit Leoni Tertio, innocentiam suam in Synodo, jussu Caroli Magni collecta, tuetur, apud Anastas. Bibliothec. in ejus vita: ergò Summi Pontifices agnoscunt in Synodo superioritatem.

181. Resp. ant. esse verum de subjectione directiva, qua supremi quoque Principes suis se legibus subditos fatentur, non verò de coactiva: hæc probari debet, non prima, Prima-

matui minimè noxia. Verum est quoque etiam Romanum Episcopum vitari debere, in casu tamen hæresis, ob quam unicè à Pontificatu desineret, nec citra sui periculum officii posse violare leges illas, quarum fractura, aut dispensatio hæresis suspicionem induceret; quo sensu Innocentius Tertius locutus est, Epist. 104. lib.3. regis. At Ecclesiam quoque verum est gubernari oportere juxta canones; non tamen asserit, ex suprema authoritate interdum secus agere Pontificem nequaquam posse; quod quidem Ecclesia ipsa approbat, petens quotidie à Romano Pontifice dispensationes.

182. Ad Conf. ne. ant. exempla autem adducta nihil probant; illi enim Pontifices ex semeptisis, non autem coacti se Synodis subjecerunt, non ut juridica in ipsos potestas exerceretur, sed potius, ut, examine instituto, eorum ab imputatis criminibus innocentia eluceret. Idcirco autem Marcellinus coram Concilio sese sistere voluit, quia cum in Idololatriam externam metu tormentorum incidisset, dubitare potuit à Pontificatu excidisse, veluti suspectum infidelitatis, & propterea judicari à Concilio posse, quod tamen noluit, asserens, Primam sedem à nemine judicari; nec Patres spontaneam hanc subjectionem acceptarunt, eo quia non ex infidelitate, sed ex formidine pœnarum, illam Fidei abnegationem ortam agnoverunt, & propterea Pontificatum in ipso adhuc perseverare censuerunt. Sistus Tertius cap.5. Syn. Rom. & Leo Tertius ex Anastasio apertè protestantur, se voluntariè criminis objecti discussionem permittere, ut veritas pateret, non tamen seipsos subdere. Idipsum fecit Symmacus

in Synod. Rom. tertià, quæ de Romàno Pontifice dignam illam protulit sententiam, apud Ennod. Ticen. Epist. ad schismat. *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari; sed Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio.*

183. Ultimò coacervantur cetera minoris momenti: I. Papa, si in hæresim incidat judicari potest. Can. *si Papa* dist. 48., ergò etiam in aliis casibus: qui enim potest in majus, potest & in minus, cap. *ex Parte* extra de Decimis. II. Membra corporis abscindenda sunt prò ejusdem salute; ergò Pontifex, qui est caput, si noceat, abscindi potest, adeoque subditur Ecclesiæ. III. Totum est majus sua parte: sed Ecclesia est totum; ergò est major Pontifice, qui est ejusdem pars. IV. Pontifex potest pravis moribus, ac tyrannide Ecclesiam destruere; ergò potest Ecclesiam eum deponere, jure ipso naturali, vim vi repelli posse, dictante; ergò Pontifex est subditus Ecclesiæ in suo repræsentante, nempe Synodo Generali.

184. Resp. ad primum ne. conseq., in casu en. hæresis Pontifex à Pontificatu decidit; si verò de hæresi sit suspectus, ipse Pontificatus est dubius; quare mirum non est in illis casibus posse deponi, cum non deponatur verus, & certus Pontifex, sed dubius, & quatenus privata est Persona.

185. Ad secundum dico, nulli membro præter caput parcendum esse, ut corpus salvetur, capite enim ablato, perit corpus, non tamen alio membro pereunte: hinc Christus Dominus Mat. 18. 8. non dixit, caput abscindi oportere, si noceat, benè verò cætera membra. Cum ergò salus Ecclesiæ à Capite pen-

pendeat, etiamsi sit infirmum, & languescat, numquam potest per depositionem abscindi.

186. Ad tertium ant. verum est de toto quantitativo, & homogeneo, non verò integrali, & eterogeneo: Ecclesia autem est totum eterogeneum, at humano simile corpori, ad Rom. 12. 5. ac proindè plus virtutis habere potest Caput ejusdem, quam corpus integrum, in quod interno spiritu influit; ergò Romanus Pontifex, qui ex divinis Scripturis, Patribus, & Conciliis Ecclesiæ Caput est, plus habet virtutis in seipso intensivè, quam Ecclesia universa extensivè, & quidem ex Christi institutione; idcircò mirum non est, Ecclesiæ minimè subdi, sive dispersæ, sive congregatæ, sed potius eam subdi Pontifici sive in se, sive in sui representante, nempe Synodo Generali.

187. Ad quartum, permisso ant., quod non ita facilè contingit, ne. conseq. in tali enim casu injustè impetitus, sive privatus quoque, sive Ecclesia ipsa, potest quidem se tueri defensione naturali, non tamen juridica, de qua quæstio est, eo modo, quo quis se tuetur à Principe volente eum occidere, quem profectò repellere quidem potest, non tamen ad Tribunal vocare, aut ipsum deponere. Si quis inquirat, cur Ecclesia Pontificem eligere possit, non autem deponere?

188. Ratio apparet perspicua: quia nimirum Pontificis Electores, etsi Personam eligere minimè possint, itàut eidem supremam conferant Potestatem: eam tamen possunt designare, cui electæ Christus Dominus confert dignitatem Pontificiam, adeoque dicuntur Cardinales eligere Pontificem, etsi eidem minimè conferant Pontificalem Dignitatem,

 non

non possunt autem ipsum deponere, quia non possunt auferre, quod ipsi non dederunt, nec in eorum erat potestate, sed Christi, sicut Populi Regiam potestatem, quam ipsi non dederunt, auferre non possunt, nec Pontifex Ordines sacros abradere, quos non ipse aut Episcopus, sed Christus, ut causa principalis contulit, & Episcopus, ut causa ministerialis.

CAPUT VII.

Utrum Romanus Pontifex infallibilitatis privilegio fruatur?

189. GRæci Acatholici, duce Photio eorumdem in Schismate Antesignano, ex Anast. Bibliotec. in præfat. 8. Syn. Romanum Pontificem, etsi in Cathedra sedentem, atque docentem errori obnoxium faciunt, in qua opinione eumdem quoque cæteri sequuntur Eterodoxi. Videndum nunc est, an vero, ac solido nitatur fundamento? Quod quidem, ut melius præstetur, sit

SECTIO PRIMA

Quædam prænotantur ad Quæsiti intelligentiam.

190. NOtandum est 1., Romanum Pontificem dupliciter posse spectari. Primo quatenus à munere Pontificali præscindit, atque, ut ajunt, Persona privata est, & Doctor particularis. Secundò, quatenus gerit vices Petri cujus est Successor, & Magistri publici, Doctorisque Universalis, ac Judicis in Ecclesia munere fungitur, atque, ut ajunt,

ajunt, ex Cathedrâ docet, suisque decisionibus aliquid Universis Fidelibus, invocato Divino Spiritu, credendum proponit. Hic in posteriori sensu quæstio agitatur, minimè in priori, à quo penitus præscindimus, cum ad rem minimè faciat.

191. Notandum secundo, Quæstiones, quæ examini Romani Pontificis subjiciuntur, alias esse juris, alias facti. Prioris generis illæ censentur, in quibus si credibilia spectemus, inquiritur, an hoc, vel illud sit de fide credendum, & in quo gradu? Uti factum in Synodo Nicæna prima novimus, in qua fuit examinatum, an consubstantialitas Filii Dei cum Patre sit de Fide credenda? Si verò agibilia; utrum hoc, vel illud sit licitum nec ne, aut obliget sub peccato? Hinc in Synodo Jerosolymitana Act. cap. 15. agitatum est ab Apostolis, an Legalia, Evangelio jam coruscante, sub peccato obstringerent? Posterioris generis sunt illæ, in quibus, non quid agendum, aut credendum sit, inquiritur, sed quid actum revera fuerit, aut creditum, ut V. G. an Sejus in Arianismum inciderit? An Simoniacè Sedem Episcopalem ascenderit? Adest quoque tertium membrum, an scilicet sensus talis Authoris fuerit ille, quem liber exhibet, an alius? Quo pacto in Calcedonensi discussum est; an Epistola Ibæ ad Marim Persam Nestorianismum oleret, & ita revera sentiret Ibas? At hæc reducitur ad quæstionem juris.

192. Tertiò notandum est, Romanum Pontificem ex Cathedra loquentem adhuc dupliciter posse spectari. Primò quatenus cum generali Synodo, cui mediatè, vel immediatè presidet, aliquam de Fide controversiam, aut decidendo, aut consentiendo, & confirman-

mandò Synodi decisiones, dirimit. Secundò quatenus ex se solo, vel cum cœtu Cardinalium, aut Episcoporum controversiæ alicui ultimata decisione finem imponit. In primo sensu Græci Acatholici non adeo à sensu Catholico abhorrerent: at in secundo penitus refragantur, nec ullo modo adduci possunt, ut hujusmodi infallibilitatem in Romano Pontifice fateantur, omnia in Synodos Oecumenicas refundentes, etsi principiis suis apertè adversentur, præsertim Græci Monarchiam Ecclesiæ ultrò admittentes.

SECTIO SECUNDA

Stabilitur Conclusio, & ex Scripturis evincitur, Romanum Pontificem, ex Cathedra docentem, in rebus Fidei, & morum proponendis, ac deffiniendis, etiam extra Synodos Oecumenicas esse penitus infallibilem, & ignarum deceptionis.

193. MAt. 16. 18. Christus Dominus dixit Petro, atque in ipso omnibus ejusdem Successoribus Romanis Pontificibus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*: Lucæ 22. 31. 32. *Simon Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: Ego autem rogavi prò te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres suos*: Et Joan. 21. 15. 16. 17. cum ter à Petro Christus flagitasset, an ipsum amaret, ipse verò respondisset: *Tu scis Domine, quia amo te*, ab ipso in argumentum amoris exegit, ut oves

suas

suas pasceret, illis verbis: *Pasce oves meas* ter repetitis, & quidem aliis Apostolis præsentibus: at ista loca Scripturæ convincunt apertissimè, Romanum Pontificem esse in rebus Fidei, & morum penitus infallibilem, utpote Petri Successorem, ergò &c. Prob. minam si esset fallibilis, Ecclesiæ non esset fundamentum; non posset Fratres, nempe Fideles omnes in fide confirmare, neque eos pascere vera, & infallibili doctrina; sed potius ab alio pasci deberet, & confirmari, atque in aliis Fidei ponere fundamentum; ergò Romanus Pontifex, ex Cathedra docens est penitus infallibilis: Alii enim Pastores confirmant quidem in fide Fratres, eos pascunt, & sustinent, non tamen veluti primum, & ultimum in Ecclesia visibile fundamentum. Hinc Bernardus epist. 190. ad Innocen. Secun. *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque, & scandala Regni Dei, & præsertim quæ de Fide contingunt; dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna Fidei, ubi non potest Fides sentire defectum; cui enim alteri Sedi dictum est aliquando: Ego prò te rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua?*

SECTIO TERTIA

Idipsum ostenditur ex Patribus.

194. Patres quoque antiquæ Ecclesiæ, & quidem Orientalis idipsum asserunt: Cyrillus enim Alexandrinus Magnus ille Dominicæ propugnator Incarnationis in illud Mat. *Tu es Petrus &c. Secundum*, inquit, *hanc*

hanc promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & heretica circumventione manet immaculata. Theodoret. epist. ad Renat. Presbyt. de Romano Pontifice faciens sermonem: *Tenet Sancta ista sedes gubernaculum regendarum cuncti Orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tum quia semper heretici fætoris expers permansit, nec ullus unquam, qui contrarium sentiret, in ea sedit, quin potius Apostolicam gratiam purus custodivit*. Basil. Mag. Epist. ad Rom. Pontif. & cæteros Oriental. per Sabinum delata asserit. *Divum Petrum revera dignum excellentissimæ vocis illius, qua te Beatum declaravit, quoniam tuæ erga Deum Religioni à Domino datum est, spurium nempe à legitimo, & puro discernere, & fidem secure prædicare*, & Epist. 1. in addit. ad Occidental. anno Christi 373. data: *Cunctis mortalibus prædicamini, quod in Fide illibati permaneatis, & Apostolicum depositum illæsum servetis; non sic habent res nostræ*. Quod quidem Occidentalibus, nonnisi ratione Sedis Apostolicæ competit, ad quam pertinet Fidei Depositum custodire. Greg. Nazianz. carm. de vita sua: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habuit rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Urbem, quæ toti Orbi præsidet, semper de Deo integram Fidem habet*, quod sane ipsi competit ratione Summi Pontificis Ecclesiam regentis, & docentis. Iræneus lib. 3. cont. hæret. cap. 3. de Ecclesia Romana, cujus caput est Pontifex, habens sermonem: *Ad hanc*, inquit, *propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt ubique Fideles, in qua ab his, qui sunt, undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio*: Hæc autem

om-

omnia hucusque ex Patribus Orientalibus recensita falsa essent, nisi Romanus Pontifex ex Cathedra docens omnimoda infallibilitate gauderet. Ergò &c.

SECTIO QUARTA

Ostenditur hæc veritas ex Conciliis.

195. Ephesinum primum prò Incarnationis Dominicæ Mysterio tuendo collectum, & quidem Oecumenicum in sententia Nestorii Hæresiarchæ damnativa, hæc scribit, act.10. *Coacti per Sacros Canones, & Epistolam Sanctissimi Patris Nostri, & Comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi lacrymis subinde profusi ad hanc lugubrem contra eum sententiam necessariò venimus*: Non potuissent autem cogi ad damnationem dogmatum, & Personæ Nestorii, nisi Patres censuissent, Romanum Pontificem esse in Fidei decisionibus penitus infallibilem: scimus enim, Epistolas quoque aliorum Episcoporum fuisse in Synodo perlectas præsertim Cyrilli Alexandrini, quibus tamen Patres non se fatentur coactos; ergò censuerunt, sententiam Romani Pontificis esse omninò infallibilem.

196. Calcedonensis celeberrima Synodus sexcentorum, & triginta Patrum, & Marciani, ac Pulcheriæ Augustorum præsentia decorata: Act.2. post lectionem Epist. S. Leonis Papæ ad Flavianum, Episcopi clamarunt: *Hæc Patrum Fides; hæc Apostolorum Fides; Orthodoxi ita credimus; Petrus per Leonem locutus est*. Act.3. Sedes Romana, Synodo minimè reluctante, dicitur *Petra, crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ Fidei fundamentum.*

Act.4.

Act.4. qui non subscribebant Epistolæ Sancti Leonis Papæ ad Flavianum, Hæretici censebantur, & parum abfuit, quin Episcopi Ægiptii renuentes præfatæ Epistolæ subscribere, damnarentur. In Epistola ad Imperatorem Patres dicunt: *Impenetrabilem in omni errore, impugnatorem Deus nobis providit Romanæ Ecclesiæ Papam*; & alia similia in Synodo illa Oecumenica, & celeberrima sparsa leguntur, ex quibus apertè constat, censuisse Patres, Romanum Pontificem in docendo ex Cathedra esse omnino infallibilem, Act. 19. in Prosphon. Ad Marcian. Imperat. *Romanus Pontifex est propugnator impenetrabilis ab omni errore*, sivè ut alia interpretatio habet, *errore insauciabilis, quem Deus providit Doctrinis ipsum per omnia veritatis astringens, ut quemadmodum Petrus, ita & is ferventiore affectu decertans omnem ad Deum, quæ sensum superat, intelligentiam perducat*. Quid clarius?

197. Synodus sexta Oecumenica ad errorem Monotelitarum evertendum collecta act.8. Agathonis Papæ Romani recipit, & approbat Epistolam ad Imperatorem Constantinum Pogonatum directam; in qua legitur quod Ecclesia Romana, *numquam hæreticis novitatibus depravata succubuit*: reddit autem rationem: *Quia* nimirum, *dictum est Petro: Ego prò te rogavi, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando confirma Fratres tuos: Hic Dominus Fidem Petri non defuturam promisit, & confirmare eum Fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum*. Et act.18. in orat. Prosphon: Cum Patres Agathonem nuncupassent, *Sanctissimum*

Pa-

Patrem, subdunt, *Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps; illius enim imitatorem, & Sedis Successorem habuimus, & Divini Sacramenti illustratorem per Literas. Confessionem sibi à Deo inscriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & Dogmatum Diem à Vespertinis partibus extulit: Carta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur*: Hæc autem omnia cum fallibilitate Romani Pontificis ex Cathedra docentis stare nequaquam possunt.

198. Nicænum secundum adversus Iconomachos, sub Constantino, & Irene Augustis collectum, Epistolam recipit, & approbat Adriani Papæ primi ad ipsos directam, in qua dicitur, quod Romana Ecclesia sit: *Caput omnium Ecclesiarum Dei, & in universo Orbe Primatum obtinet, quod sit revera recte sentiens, & pietatis incorrupta conservatrix*; & in Epist. Confirmationis postulatoria, ajunt Patres Adrianum Papam alloquentes: *Pedes nostri in viam veritatis per te ducebantur. Sic confracta membra in unum corpus componebantur*. Hæc autem cum fallibilitate Romani Pontificis Ecclesiam ex Cathedra docentis minimè copulantur.

199. Synodus octava pariter Oecumenica act. 5. can. 2. Nicolaum Primum Romanum Pontificem, *Organum Spiritus Sancti*, appellat, & jubet, interrogari quidem humiliter Romanum Pontificem, & solutionem ab eo accipere dubiorum, non tamen adversus eum audacter sententiam dicere, quod sanè falsum esset, nisi ipse censeretur in docendo infallibilis; igitur ex Conciliis Romanus Pontifex infallibilitatis gaudet privilegio.

SE-

SECTIO QUINTA

Idipsum ratione ostenditur.

200. PRimò. Plerique Hæretici, priusquam Synodus ulla Oecumenica fuerit celebrata, à Romano tantum Pontifice fuere damnati, ut Novatiani à Cornelio, Quartadecimani à Victore, Helceseitæ, & Valesiani à Fabiano, Cataphrigæ, Marcionitæ, & Valesiani à Zepherino, Montanistæ ab Eluterio: post verò Conciliorum introductionem, absque ipsis Siricius Manichæos, Damasus Primus Apollinaristas, & Photinianos, Innocentius I. Cælestianos, & Pelagianos; aliosque Christi hostes extra castra Ecclesiæ Successores Pontifices expulserunt; & ideo hæretici habiti sunt, quia ut tales à Romano Pontifice damnati: Hinc Magnus Augustinus serm. 2. de Verb. Apost., audita Zosimi adversus Pelagium, & Cælestium sententia; inquit acutè: *Româ rescripta venerunt, causa finita est.*

201. Secundo, in Ecclesia semper retentum, & praxi firmatum est in gravioribus Fidei, & morum controversiis Sedem Apostolicam consulere, veluti ultimum Religionis Tribunal, ex Theodoret. Epist. ad Leonem Primum; Nazianzeno Epist. 74. Justiniano Primo Epist. ad Hormisdam, & Joannem Secundum, quibus libellum Fidei præbuit, uti mos erat etiam in primitiva Ecclesia, ut Christi fideles se Catholicos ostenderent.

202. Tertiò. Romanus Pontifex est Petri Successor, ex Florentina Synodo, cui etiam Orientales, & signanter Græci assensum præbuerunt, ex lit. Unionis: Si autem nunc adesset

set Petrus Apostolorum Princeps, nemo ipsi hujusmodi infallibilitatem denegaret; ergò neque ejusdem Successori Romano Pontifici deneganda est, dum ex Cathedra loquitur etiam extra Concilium.

203. Quartò. Debet admitti Judex Supremus infallibilis, qui exorientes quotidie de Fide Quæstiones decidere possit, & ejusdem damna, ut inquit Bernardus ad Innocentium Secundum, reparare: nullus autem id potest præstare, nisi Romanus Pontifex Christi Vicarius: nam Synodus Generalis præterquanquod ab eodem quoad infallibilitatem omnino pendent, raro, nec nisi Ecclesiæ magna turbatione cogi potest: Provincialis verò non videtur sufficere, sicut minimè singuli Episcopi, aut Patriarchæ in sua respective Diœcesi sufficiunt; necessitates verò Ecclesiæ sunt quotidianæ, & urgentes; ergò, ut ipsis occurratur, admittenda est hujusmodi infallibilitas, alioquin Christus Ecclesiæ suæ minimè providisset, quod omninò absurdum est. Adeoque &c.

SECTIO SEXTA.

Solvuntur Objecta.

204. Obji. I. Summus Pontifex potest etiam ex Cathedra errare, malè agendo, & malè gubernando: imò ex pravâ voluntate velle malè docere, ut alios perdat; ergò etiam errare malè docendo: ant. est certum, cum Summus Pontifex non sit in moribus, & voluntate impeccabilis: conseq. patet, nam non apparet ratio, cur possit malè operari in agendo, non autem pravè se gerere in

in docendo, cum utrumque ad Pastoratum pertineat, & bene agere exemplo, & bene pascere docendo.

205. Resp. ne. conseq.: nam error voluntatis in Pontifice minimè nocet inemendabiliter, sicut nocet error Doctrinæ: etsi enim Pontificum mores non sint interdum ita emendati, neminem tamen ad sequelam compellunt: at error in docendo est omninò inemendabilis, cùm oves Pastorem sequi debeant dirigentem, & pascua prava scitè à proficuis, sanisque discernentem, non item operantem; quare tametsi aliquis Pontifex ex voluntatis pravitate vellet malè docere, minimè tamen à Deo permitteretur, eo modo quo Caiphas verè prophetavit divino Spiritu afflatus, cùm Christum ait morti addici oportere, etsi id animo pravo protulisset.

206. Obji. II. admissa hujusmodi infallibilitate, duo suprema in Dei Ecclesia tribunalia admitterentur, nempe Pontifex Romanus, & Oeumenica Synodus: hoc autem absurdum est, sicuti enim unus est Christus, & una Ecclesia, ita unicum supremum in ea Tribunal esse potest.

207. Resp. ne. seq. maj. nam admissa hujusmodi infallibilitate, non duo, sed unicum est Tribunal supremum, nempe Romanus Pontifex cum Concilio, aut absque ipso, Fidei dirimens controversias, eo modo, quo Rex cum Senatu, & absque ipso causas decidens, non duo, sed unicum est Tribunal. Neque propterea Synodi Generales supervacaneę sunt; plurimùm enim prosunt, tum quia sensus universalis Ecclesiæ magis innotescit Capiti suo conformis, tum quia Dogmata in Synodis generalibus diligentissima discussione cribrantur, & Hæ-

& Hæreticorum objecta ventilantur, atque perspicuè dissolvuntur, ne adhæsio Ecclesiæ Capiti suo, assentatio, & ex parte Capitis tyrannica coactio videatur, & ob alia gravia motiva, quæ S.Leo Magnus Epist. ad Flavian. sapientissimè adducit.

208. Obji. III. ex Nilo Thessalonicensi: Petrus Christum negavit, & Gentiles judaizare coegit. Mat.26. 70. & ad Gal.2. 12. ergò Pontifex Romanus potest errare qui profectò non est Petro melior:

209. Resp. dist. ant. erravit errore personali, & conversationis, permit. ant., judiciali, & doctrina, ne. ant. & conseq. Hic non disputatur, an Petrus, aut quisquis ejus successor errare possit errore privato, & quatenus privata Persona est, sed an possit errare, ut Persona publica, publicumque exercens magisterium, male docendo. Petrus autem, cum negavit Christum, actione prava privata erravit, non pravam doctrinam tradidit, sicut etiam cum Gentiles simulatione sua judaizare coegit; & propterea Paulus non dixit, eum incedere contra veritatem Evangelii falsa docendo, sed non incedere ad veritatem Evangelii malè agendo. Quo pacto etiam erravit Christum negando: non enim docuit, Christum negari posse, sed facto ipso negavit: adeoque non malè docuit, sed malè egit, quo tempore minimè adhuc Pontificatum obtinuerat, quo post mortem tantummodo Christi fuit insignitus, Joan. 21. 17.

210. Obji. IV. Sanctus Cyprianus, ac D. Polycarpus numquam hæreticæ pravitatis insimulati fuerunt, imo Martyres fortissimi extiterunt: sed hi à Romano Pontifice in Dogmate dissenserunt; ergò in antiqua Ecclesia

Ro-

Romanus Pontifex infallibilis minimè censebatur: maj. est certa: patet quoque min. nam D. Cyprianus constanter tenebat, Hæreticos ad Ecclesiam reduces denuò baptizari oportere: Divus autem Polycarpus cum Asiaticis suis, Pascha celebrari debere Luna quarta decima more Judæorum; & si Stephanus Papa primum, Anicetus Papa secundum Dogma respuerent; ergò Sancti illi Episcopi, & Martyres citra reprehensionem à Romani Pontificis dogmate dessidebant in primitiva Ecclesia, ergo &c.

211. Resp. con. maj. & dist. min. dissenserunt in dogmate ex Cathedra diffinito, ne. min. in re præcepta, & lite adhuc pendente; con. min. & ne. conseq. Itaque Sanctus Cyprianus dissensit quidem à Stephano Papa circa Hæreticos rebaptizandos: at Stephanus adhuc minimè hoc veluti dogma diffinierat, sed præceperat tantum, antiquam servari consuetudinem, Hæreticos ad Ecclesiam reduces neutiquam rebaptizandi. Cyprianus nolebat obtemperare, Agrippini Carthaginensis Episcopi falsa deceptus traditione; at errorem suum correxit, teste August. de unit. Eccles. cap. 1. & Epist. 48. Cæteri verò Asiatici Episcopi quem secuti sunt errantem, secuti sunt pœnitentem, præcipuè Firmilianus apud Euseb. lib. 9. cap. 4. Quàm verò Sedi Apostolicæ veluti firmissimo Ecclesiæ fundamento Cyprianus adhæreret, patet ex lib. de Unit. Eccl. & Epist. 55. atque alibi passim. Sanctus verò Polycarpus dissensit quidem: at lite pendente, nec adhuc diffinita, quæ à Victore Primo, atque à Nicæna prima Synodo stabilita est. Nec Anicetus, aliique Pontifices ante Victorem explicita decisione Asiaticam Ecclesiam

ſiam turbare voluerunt, quæ morem ſuum ex Apoſtolica, licet immerito, traditione putabat deſcendentem.

212. Obji. V. Liberius Summus Pontifex ex Cathedra docuit, quando in Concilio Sirmienſi formulæ ab Arianis expoſitæ ſubſcripſit: ſed tunc erravit: ergò Romanus Pontifex ex Cathedra docens errare poteſt; min. patet, nam ſubſcribere formulæ Fidei, cui omnes credere tenentur, eſt docere ex Cathedra, ut ex ſe manifeſtum eſt; ergò ſubſcriptione illa docebat ex Cathedra. Prob. etiam min. nam ſubſcripſit formulæ in qua omittebatur conſubſtantialitas, & diſſimilitudo Filii à Patre in eſſentia aſſerebatur, vel ſaltem non ſimilitudo, ob quam ſubſcriptionem Conſtantius Imperator ab exilio eum revocavit ac Sedi ſuæ reſtituit, ex Hieronym. de ſcript. Eccleſiaſ. in Fortunat. & in Cronic. ubi quoque habetur, ab eo, ut Arianis placeret, damnatum Athanaſium fuiſſe conſubſtantialitatis acerrimum aſſertorem; ergò ſubſcripſit formulæ hæreticæ, ergò hæreſim ex Cathedra docuit.

213. Reſp. omitto mai. & ne. min. ad cujus probationem ne ant., non enim illi formulæ ſubſcripſit Liberius, in qua ponebatur diſſimilitudo Patris à Filio, vel ſaltem non ſimilitudo; ſed illi, in qua, licet conſubſtantialitas omitteretur; diſſimilitudo tamen minimè aſſerebatur, aut non identitas, aut inferioritas, quod fieri debuiſſet, ut hæreſim contineret Arianam. Tres enim formulæ Sirmii conditæ ſunt. Prima, in qua damnabantur aſſerentes, verbum ex non extantibus, aut ex altera eſſentia, nec ex Deo prodiiſſe: at Patres fatebantur, Filium ex Patre natum,

Deum ex Deo, Lumen ex lumine &c. Secunda continebat Filium non esse Patri consubstantialem, sed ipso inferiorem, ipsique dissimilem. Tertia, fatebatur quod Filius sit *Deus de Deo per omnia Patri similis ante omnia sæcula, & initia, & ante tempus, quod in intellectu cadere potest*. Secunda solummodo errorem Arii apertè continebat. Prima, & Tertia, etsi consubstantialitas omitteretur, nullum tamen errorem expresse complectebantur; sed potiùs Catholicam veritatem, etsi ob nonnulla verba æquivoca in pravum sensum possent detorqueri. Liberius non secundæ subscripsit, sed primæ, ex August. Epist. 174. idcircò autem à Constantio in pristinum fuit statum Liberius restitutus, quia sibi videbatur, etsi magnopere in hoc deceptus, causam vicisse, & quia damnavit Athanasium, quod sibi valde cordi erat, non quidem in causa Fidei, quam semper constantissime tenuit, sed in negotio criminali, cum ab Arianis eidem infestis gravissimorum criminum esset accusatus.

214. Cæterum etsi secundæ formulæ subscripsisset, adhuc tamen minimè inferretur, hæresim ex Cathedra docuisse, cum id non spontè, sed coactè præstiterit, eo pacto, quo Marcellinus Idolis sacrificium immolavit, & propterea omissa est maj. Et revera, terrore sublato, veritatem, ut Romanum Pontificem decebat, imperterritè docuit, & consubstantialitatem apertè sustinuit, obiitque cum fama sanctitatis ex Basil. Epist. 74. Socrat. lib.4. cap.11. Ambros. lib.4. de Virgin.

215. Nec officit, eum cum Arianis communicasse: id enim fecit non veluti cum hæreticis, sed cum hominibus externè Catholicis,

at-

atque de Disciplina Ecclesiastica solicitis, ut ipsemet testatur in Epist. suis. Idcircò autem à Hieronymo veluti hæreticus traducebatur, non quia eum reipsa talem censeret, sed quia talis præsumebatur, qui particulam *consubstantialis* omiserit, quæ Arianis adeò displicebat.

216. Obji. VI. Honorius Primus ex Cathedra docuit, quando ad Sergium Constantinopolitanum scribens Patriarcham asseruit, in Christo dici non debere nec unam, nec plures voluntates; sed tunc erravit ergò &c. maj. patet tunc enim ut Fidei Magister interrogabatur, an rectè illæ voces admitterentur, aut omitterentur. Prob. autem min. nam decidit, dici non debere nec unam, nec duas in Christo voluntates; hoc autem hæreticum est, cum revera duæ sint non una tantum in Christo voluntates, & operationes, sicuti duæ sunt naturæ.

217. Quod autem ita reipsa senserit patet ex sexta Synodo act. 13. cum Monothelitis, Theodoro Pharanita, Sergio, Pyrrho, Petro, Paulo Constantinopolitanis Episcopis Honorium damnante, uti facit quoque septima Synodus, Leo Secundus in Epist. responsiva ad Synodum sextam, & Adrianus Secundus in Synod.VIII. act.7.

218. Resp. permit. maj. quæ negari posset, cum Honorius non videretur ex Cathedra loquens, unum solummodo instruens particularem Patriarcham, & quidem non de Dogmate, sed de re agibili, juxta leges prudentiæ an illas voces omitti, vel prædicari oporteret: ne. min. ad cujus probationem dist. maj. decidit dici non debere quoad vocem in illis circumstantiis, & eo tempore ineptè fieri

con. maj. quoad substantiam Dogmatis ne. maj. & conseq. Ibi enim non asserit, in Christo non adesse duplicem voluntatem, & operationem, imò apertè confitetur in tota illa Epistola, Christum in duabus naturis, & inconvertibiliter divina, & humana operatum, aliaque multa scribit, hæresi isti adversantia; sed vult solummodo, à vocibus abstinendum, unius, vel duplicis voluntatis, ne ansa præberetur Eutichianis, aut Nestorianis errores suos renovandi eo modo, quo dici deberet, si Ecclesia nunc deffiniret, abstineri in materia gratiæ à vocibus *sufficientis*, & *efficacis*, etsi Dogma retineretur.

219. Quod verò in quadam excitatis Epistolis unam absolutè asseruerit in Christo voluntatem, intelligitur de voluntate humana in Christo, ut homo est, quam scimus nullam sibi oppositam habuisse, ut contingit in nobis, qui rebellionem carnis in spiritum, & portionis inferioris ad superiorem ob Originale piaculum lugentes experimur. Ita testatur Sanctus Maximus Martyr in disput. cum Pirrho.

220. Nec officit Honorio à sexta Synodo, veluti Monotelismi reo dictum anathema à posterioribus Conciliis confirmatum; nam si acta sextæ Synodi cum Baronio corrupta dicamus, ad Annum Christi 681., & consequenter acta quoque septimæ, & octavæ Synodi, quæ damnationem ex sexta transcripserunt, extra aleam difficultatis negotium est: Nec levia desunt apud eumdem Baronium hujusmodi corruptionis argumenta, ut V.G. silentium Legatorum, qui utique reclamassent, uti in rebus levioris momenti fortiter obstiterunt: Mos Græcorum scripta falsandi in ipsamet sexta Synodo notatus, dum convictus

est

est Macarius Antiochenus Præsul act.3. Acta quintæ Synodi corrupisse; Epistola Vigilii Papæ ad Mennam Patriarcham efficta, atque à Legatis Apostolicis coram ipso Imperatore detecta, de qua Orientalium vafritie S. Leo Magnus Epist.83., Gregorius quoque Magnus lib.5. Epist.14., & alii plures conqueruntur. Ipsamet Epistola Agathonis, in qua asseritur, nullum ex suis Prædecessoribus à tramite traditionis Apostolicæ exorbitasse probari, & hoc omnibus esse notum; quod sanè minimè, stante Honorii Antecessoris sui defectione, dicere præsumpsisset: nec subsequentes Pontifices, ea supposita, idipsum eructassent. Silentium Historicorum illius temporis etiam Romanæ Ecclesiæ hostium, qui certè errorem illum triumphali narrassent eloquentia, ita ut nec Photius ipse, acer ille Romanorum Pontificum inimicus ista somniaverit.

221. Eodem fundamento asserendum esset, Epistolam quoque S. Leonis Secundi ad Episcopos Hispaniæ, aut commentitiam, aut saltem corruptionis vitio laborare, in qua error Honorii videtur supponi, cujus corruptionis argumenta dat Baron. ad An.Christi 683.

222. Si verò puritas Actorum sextæ Synodi teneatur, uti eam plures affirmant, tunc dicendum est, non ideò Honorium defunctum censeri mulctatum, quia reipsa cum Monothelitis senserit, aut docuerit; sed quia silentio illo suo ansam præbuit malè suspicandi, & quia, ut ait S. Leo Secundus ad Episcopos Hispaniæ: *Flammam hæretici Dogmatis non, ut decuit Apostolicam authoritatem, urere incipientem extinxit, sed negligendo confovit;* & eodem modo Adrianus Secundus explicandus est superius citatus.

223. Nonnulli alii Pontifices arguuntur, hæresim, aut errores noxios docuisse, ut Vigilius scribens ad Theodoram Augustam, dicitur errorem Acephalorum, & Eutichis tradidisse. Fælix Secundus, qui ex D. Hieron. de script. Ecclesiaſ. Arianis favit. Gelasius, qui docuit non posse in Eucharistia unam speciem sumi sine altera Cap. *Comperimus* de consecrat. dist. 2. Gregorius Tertius, qui Cap. *Quod proposuisti* 32. Quæst. 7. diffinivit, muliere ob ægritudinem reddere debitum impotente, aliam duci posse. Nicolaus Primus docens de consecrat. dist. 4. Baptismum collatum in nomine Christi validum esse. Cælestinus Tertius, qui, referente nostro Alfonso de Castro Lib. 1. de Her. cap. 4. docuit, hæresi Matrimonium dissolvi. Nicolaus Tertius qui, Cap. *exiit* de Verb. signif. asserit, Christum, & Apostolos nihil juris, & proprietatis in iis, quibus utebantur, habuisse. Joannes Vigesimus Secundus docens ex Spondano ad Annum 1233. nullam animam, etsi omni peccati labe purgatam ante diem extremi Judicii Deum intuitivè videre; ergò Romanus Pontifex ex Cathedra docens nequaquam est infallibilis.

224. Respond. breviter ad hæc. Vigilius, dum ad Imperatricem scripsit, nequaquam legitimus erat Petri Successor, vivente adhuc Silverio verò Pontifice. Cum verò Thronum Petri justa electione ascendit, immaculatam Fidem Petri servavit, Hæreticis restitit, nec umquam adduci potuit, ut Antimum, aliosque à sedibus pulsos Hæreticos, etiam precibus Theodoræ Augustæ in pristinum restitueret; quare redux ab exilio ærumnis confectus vitam Syracusis finivit, teste Anastasio

in

in ejus vita, magnis proinde laudibus à Gregorio Magno lib. 2. epist. 56., aliisque gravissimis Viris commendatus. Fœlix Secundus; vivente Liberio, non Christi Vicarius, sed Antichristus fuit a Constantio intrusus: cum verò legitimè post Liberium sedit, hæresi Arianæ restitit, Constantium excommunicationi subjecit, ac deindè Martyr occubuit, ex Baron. tom. 3. Annal. ad Annum Christi 397. Quod verò cum Arianis communicaverit, id accidit ante legitimum Pontificatum, non post, & propterea uti Sanctus Pontifex habitus fuit, apud Nicephor. Calix. lib. 9. cap. 35. Gelasius loquitur de Sacerdote sacrificante, non verò de simpliciter communicante.

225. Gregorius Tertius intelligendus est de impotentia perpetua conjugium impediente legitimè probata, non verò ad tempus; quo casu Matrimonium non dirimitur.

226. Nicolaus Primus non ex Cathedra docuit Baptismum in nomine Christi conferri posse, sed merè incidenter; vel si revera ex Cathedra diffinivit, ut aliis placet, loquitur de forma dispensatoria, qua in primitiva Ecclesia utebantur sacri Ministri, ut nomen Christi Judæis scandalum, Gentilibus autem stultitia, in pretio haberetur; ita D. Thom. supplem. quæst. 66. art. 6. D. Bona. 4. dist. 3. quæst. 2. Doctor Subtilis eod. 4. dist. 3. quæst. 2. & alii: non verò institutivà, de qua loquuntur Pelagius Papa Cap. *Si vera* de consecrat. dist. 4., & Zacarias Papa Cap. *in Sinodo*, ead. dist. Hujusmodi autem dispensatio ab Alexandro Tertio extra de Baptismo Cap. *Si quis*, & per Florentinum & Tridentinum sublata fuit.

227. Cœlestinus Tertius, cujus tamen Decretalis in corpore juris non invenitur, ex

Cathedrâ negotium non decidit, sed opinative locutus est, ut elicitur ex Innoc. III. ejus successore oppositum sentiente Cap. *Quanto* de divortiis, & tamen asserente, Præcessorem suum aliud opinasse, quod sanè non diceret, si uterque ex Cathedra docuisset.

228. Nicolaus II. loco citato non dicit absolutè, Christum, & Apostolos omne jus, & Dominium abdicasse, sed interdum solummodo; interdum verò etiam pecunia usos esse, & sua retinuisse, ut perfectis, & minùs perfectis sanctimoniæ exempla præberent; & propterea à Joanne Vigesimo Secundo in Decret. *Quorumdam* minimè reprehenditur, sed potius commendatur, & in qua tantum deciditur, esse hæreticos dicentes absolutè, Christum, & Apostolos proprietate rerum, quibus utebantur, caruisse, non verò in sensu Nicolai.

229. Joannes Vigesimus Secundus numquam ex Cathedra docuit, animas purgatas ante diem Judicii beatitudinem æternam nequaquam assequi, sed solummodo eam passus est disputari, ex ejusdem epist. ad Philippum Galliæ Regem, cum res adhuc minimè fuisset de Fide diffinita: eamque opinionem fortasse tenuit, quæ magnorum quoque Virorum torsit ingenia, atque à Benedicto Duodecimo fuit ultimo judicio decisa; at hoc ad rem non facit, cum illa opinio nec tunc esset de Fide, neque illam ex Cathedra umquam docuerit.

230. Plerique alii Pontifices erroris arguuntur: sed immeritò; quidquid enim ab aliis asseritur, vel purum factum privatum tangit, vel tantum dicitur incidenter, adeoque universalem non respicit Ecclesiam; vel Disciplinam, non Doctrinam; agibilia, non

cre-

credibilia; prudentialia, non Dogmata concernunt: in prioribus errare posse Romani Pontifices humillimè confitentur, non verò in posterioribus. Numquam tamen ullus Pontifex invenietur, qui in quæstionibus juris reipsa ex Cathedra docens erraverit.

231. Quæres, An Romanus Pontifex, ut privata Persona possit in hæresim incidere?

232. Resp. etsi non desint, qui hoc sentiant in Cap. fundati *si Papa*, probabilius tamen censeo non posse: Cum enim Pastor sit Universalis, ac proinde Dei Populos debeat in Lege instruere, connaturalius est, ac Divinæ Providentiæ conformius, eum, qui revocare alios ab errore debet, ab omni etiam in sentiendo errore immunem servari, nec enim miracula sine necessitate multiplicanda sunt. Canon autem citatus loquitur sub conditione, non absolute.

CAPUT VIII.

An Romanus Pontifex extra Concilium Generale possit ferre leges, quæ Orientales quoque obstringant?

233. STatuto, uti hucusque ostensum est, Universali Romani Pontificis in Dei Ecclesia Primatu, constat apertissimè, condi ab eodem leges posse Universalem Ecclesiam obstringentes: at quoniam Orientales Acatholici de hoc pulverem moverunt, ac nolunt eum sibi Legislatorem agnoscere; idcircò quęstio hæc agitanda est, ut eisdem ansa quæcumque proterviendi omnino eripiatur.

SECTIO PRIMA

Quædam notanda præmittuntur.

234. UT difficultas hæc meliùs tractetur, notandum est, ab Orientalibus minimè, uti fit ab Occidentalibus Hæreticis, in controversiam vocari, an Ecclesia ferre possit Leges etiam in conscientia obstringentes? Sed an Romanus Pontifex extra Concilium Oecumenicum ex suamet potestate, id præstare queat, ipsique obtemperare teneantur? Id enim obstinatissimè negabat Photius ex Synod.8. act.6. & 1. eumque moderni sectarii fidelissimè sequuntur.

235. Notandum insuper, tria dari genera Legum, quæ à Romanis Pontificibus emanarunt. Primum est earum, quibus dogmata deciduntur, & Fidei controversiæ dirimuntur. Secundum ad mores spectat, & Ecclesiasticam disciplinam concernit. Tertium respicit externam regiminis formam, quæ omnia Hugo Carnotensis Episcopus, Epist.60. ad Lugdunensem Primatem exactè commemorat. In præsenti non de primo genere, neque de Secundo, quatenus Dogma respicit, disputamus, cum ad quæstiones juris reducantur, sed solummodo quatenus merum agibile complectitur, & in eodem sensu, etiam de tertio.

236. Rursus advertendum est hujusmodi Leges, seu Decreta posse tripliciter se habere. Primò sic, ut Pontifex Legem ferat universalem, ab hac, vel illa Ecclesia omnino præscindens. Secundò sic, ut Pontifex Occidentalem quidem expressè in sua Constitutione comprehendat, ab Orientali verò præscindat.

dat.

dat. Tertiò, si exprimat Occidentalem, Orientalem verò excludat. In tertio sensu non agitatur quæstio, sed in primo, & in secundo. His prælibatis.

SECTIO SECUNDA.

Dicendum est, Romani Pontificis Constitutiones prò Universo Orbe Conditas Ecclesiam quoque Orientalem afficere, etsi ipsa minimè exprimatur: secus verò, quando exprimatur solummodo Ecclesia Occidentalis, nulla de Orientali facta mentione.

237. PAtet prima pars ex scriptura Veteris Testamenti, nam Deuter. 17. 12. Judæis præscribitur, ut obediant Sacerdoti: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morte moriatur*: Per Sacerdotem autem intelligitur Pontifex supremus, ex Josepho Hæbreo lib. 2. contra Apionem, inquit enim: *Pontifex ante alios Sacerdotes Deo sacrificat, Leges custodit, dijudicat controversias; convictos delicti punit, cui, qui non obedit, pœnas luit, tamquam in Deum impius*, & clarius adhuc 2. Paralip. 19. 11. Ubi Rex Josaphat collapsa restauraturus, omnibus vult supremum Sacerdotem præesse, dum ait: *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex Vester in his: quæ ad Deum pertinent, præsidebit*: poterat ergò Supremus Synagogæ Pontifex Leges ferre; igitur multò fortius licebit idipsum Romano Pontifici non Occidentalem tantum, verum etiam Universalem Ecclesiam obstringendo.

238. Habemus idipsum ex Scripturis novi Testamenti Mat. 16. 18. ubi Christus Dominus dixit Petro in supremum Jerarcham institu-

tuendo : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis*; ergò Romanus Pontifex Petri Successor nedum in Synodo generali, sed etiam extra potest legibus ligare quemcumque suæ curæ subjectum; ergò etiam Fideles Orientales. Idipsum habetur Joan. 21. 17. ubi Christus Dominus omnes oves suas Petro commendat, inquit enim. *Pasce oves meas*: Prò Pastura autem intelligitur non solum doctrina, sed regimen, quod præcipuè in Legibus consistit, apud Plat. lib. 4. de Regno. Arist. lib. 10. Ethic. ult. Clem. Alexand. lib. 1. strom. cap. 14. hinc in sacris Literis Deus appellatur *Legifer, per quem Principes imperant; & legum Conditores justa decernunt*: Isaiæ 33. 21., & Prover. 8. 15. 16. Cum autem etiam Fideles Orientales sint oves Petri, & ejusdem in dignitate Apostolica Successorum, ipsæ oves nempe Orientalis Fideles ejusdem Romani Pontificis Petri Successoris Legibus obstringuntur, sivè in Synodo collectæ sint, sivè dispersæ.

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Conciliis, Ecclesiæque sensu eruitur.

239. Nicænum primum Leges Pii Primi, & Victoris Primi de Paschate Die Dominico celebrando recepit, & novo Canone præscribit, cujus facit mentionem Concilium Antiochenum Can. 1. Epiphan. hæres. 69. Athanas. de Syn. Arim., & Seleuc.

240. Constantinopolitanum primum sub Damaso Primo, & Theod. Senior. Imperat. celebratum anno Christi 381. ex solisque collectum

lectum Orientalibus, Decreta Damasi Pontificis reverenter accipit, ordinationem Flaviani Patriarchæ Antiocheni, etsi à Synodo profectam, infirmantis, & damnationem Timothei, Maximi Cynici, & Appollinaris ab eodem Pontifice inflictam, Actorumque postulat confirmationem.

241. Ephesinum primum Oecumenicum prò evertenda Nestorii impietate collectum comparat præcepta Romani Pontificis Cælestini cum Sacris Canonibus, quibus se dicit compulsum ad Nestorii damnationem.

242. Calcedonense pariter Oecumenicum ad Eutichis hæresim extirpandam collectum Decreta Romani Pontificis, veluti ipsiusmet Petri recipit mandata, ut patet act.1. Dioscorum rebellem minimè patiens in Synodo sedere, Ibam, verò, & Theodoretum admittens, quia Pontifex ita mandaverat, & Act.3. Epistolas recipit Damasi Primi ad Paulinum Antiochenum Patriarcham Legibus, & præceptis refertas.

243. Octava Synodus, quam immeritò Græci Schismatici, ut suo loco videbimus, rejiciunt, Can.2. Sedis Apostolicæ admittit Decreta; certum autem est, hæc ad Fidem minimè, saltem omnia pertinuisse, sed potius ad disciplinam, ne scilicet viri Neophiti meritisque destituti Ecclesiæ Dignitatem invaderent, iis, ad quos de jure pertinebat, contemptis; igitur Ecclesia Orientalis Romanorum Pontificum semper se existimavit Legibus, & præceptis obstrictam. Hinc in Fidei professionis libello, quem Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ communionem poscentibus Summi Pontifices subscribendum præbebant, unum ex Capitibus erat hoc, ut nimirum Decreta,

& Le-

& Leges Romanorum Pontificum rigidissimè servarentur, ut patet ex libellis ab Hormisda, Symmaco, Nicolao Primo, aliisque Pontificibus prò Ecclesia Orientali reconcilianda directis, eisque Orientales, ut gratiam Sedis Apostolicæ obtinerent, calculos suos revera semper adjecere juris jurandi Sacramento firmatos.

244. Authoritatem hanc Ecclesia Universalis in Romano Pontifice independenter ab Oecumenicis Conciliis agnovit. Primo enim Pius Primus, aliique Pontifices decreverunt, Victor autem Eleuterii Successor Decretum renovavit de Paschate Die Dominico celebrando an. Christi 174. ex Euseb. lib.5.cap.22., anathemate, si secus fecissent, Asiaticis Episcopis comminato. Stephanus Primus tulit Decretum de Hæreticis in forma Ecclesiæ baptizatis minimè rebaptizandis ab Universali Ecclesia receptum, cui Cyprianus Martyr, aliique nonnulli, etsi aliquandiu reluctantes; tandem Dei favente gratia, humiliter obtemperarunt, teste August. lib.2. contra Donat. cap.4. & Hieron. contra Lucifer. Zephirinus Papa anno Christi 203. Decretum edidit de Adulteris, & Mæchis ad pœnitentiam, & veniam recipiendis ab Universali Ecclesia receptum, ac Nicænum primum Can.11., & 12. & alia Concilia firmarunt, solis Novatianis reluctantibus, ac Tertulliano in hæresim lapso lib.1. de Pudic. c.1. Cornelius ap. Baron. ad an. Christi 254. Pontificatum consecutus lapsis in Idololatriam, & pœnitentibus veniam decernit; Ecclesia verò illud Decretum reverenter amplectitur; ex Nicæno primo cap.11., & subsequentia Concilia in aliis casibus firmarunt, nemine, præter Hæreticos, reclamante.

245. Et profectò Romani Pontifices non adeò desipuissent, ut Leges à se latas sive intra, sive extra Concilia mandassent, severè adeò ab Universali Ecclesia custodiri, nisi firmissimo fundamento hærentes Apostolicæ, qua muniebantur, autoritatis. Legantur Epistolæ Leonis Magni ad Campaniæ, & Tusciæ Episcopos, Siricii ad Timoth. de hæreticis non rebaptizandis: Hilarii Papę in Concilio Romano effata, Anastasii ad Anastasium Imperatorem, aliæquæ innumeræ ad Synodos, Episcopos, Regesque conscriptæ; ex quibus apparebit, quo rigore supponerent, & vellent ab omnibus Fidelibus Decreta, & Leges Romani Pontificis veluti ipsiusmet D. Petri mandata servari. Propterea Synodus sub Menna ex puris Orientalibus compacta, *sequentes*, inquit, *in omnibus sedem Apostolicam, prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt*.

SECTIO QUARTA

Idipsum pluribus rationibus coacervatis evincitur.

246. PRimò Romanus Pontifex est Petri Successor, sed D. Petrus nedum Ecclesiæ Occidentali, verum etiam Orientali Leges poterat præscribere in conscientia obligantes; ergò etiam Romanus Pontifex.

247. Secundò Romanus Pontifex irritat canones, & Decreta etiam Conciliorum Generalium, ut patet de Leone Magno, qui Canonem 16. Synodi Calcedonensis, & cæteros Nicęnę Synodo repugnantes exscindit epist. 55. quod quidem Canones Trullani evincunt semper valore carentes, quia numquam Apostolicam

licam approbationem obtinuerunt; ergò Romanus Pontifex potest Leges ferre; cum possit illas abrogare.

248. Tertiò in omnibus Legibus Ecclesiæ, etiam cum Orientalibus Romanus Pontifex potuit, & revera pluries dispensavit, ut Damasus Primus cum Nectario adhuc Laico, quatenus infulis Constantinopolitanis ornaretur, ex Bonif. I. Epist. 10. Cælestinus Primus Præsulibus lapsis in hæresim veniam pollicetur si resipiscant, etiamsi perpetuam mereantur depositionem. Xistus Tertius idipsum Nestorio ipsi Hæresiarchæ, & Leo I. epist. 10. Eutichi pariter hæresiarchæ resipiscenti promisit, cum Leges Ecclesiæ Hæresum Parentibus ineluctabilem depositionem infligant.

249. Quartò Orientales pro Legum dispensatione sæpè ad Sedem Apostolicam convolarunt. Sic Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha prò stabiliendo suo Episcopatu ob Leges periclitante, Leonem Primum imploravit, & obtinuit. Photius ipse infandi Author Schismatis bis ad Nicolaum Primum confugit, ut, Lege non obstante, Neophitos, & Criminibus gravissimis implicitos excludente, Thronum Regiæ Urbis, aut primò ascendere, aut denuo recipere mereretur, ex act. Syn. 8. Leo Sapiens Augustus Basilii Filius, Stephanum Fratrem suum Photii ordinatione pollutum petiit à Romano Pontifice in Throno Sacro Regiæ Urbis collocari, & obtinuit: sicut obtinuit quoque ad secundas nuptias transire Nicolao Mystico reluctante. Justinus verò Imperator, & Justinianus Comes minimè veniam prò Episcopis Acacii communione pollutis ab Hormisda Pontifice impetrare potuerunt, uti nec ab Adriano Secundo prò Episcopis.

copis.

copis, qui Photio adhæserant Basilius Macédo, & Ignatius Patriarcha valuerunt impetrare.

250. Ultimò, Romanus Pontifex ita præsidet Ecclesiæ universali, sicuti Episcopi Primates, & Patriarchæ in sua respectivè Diœcesi; ita enim ordo postulat Ecclesiasticæ Jerarchiæ: Episcopi autem Primates, & Patriarchæ prò suis subditis Leges ferre possunt in conscientia obligantes, ex Act.20. 28. dicitur enim: *Attendite vobis, & Universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; neque hoc ab Orientalibus Acatholicis in controversiam vocatur; ergò etiam id poterit Romanus Pontifex in Ecclesia Universali; adeoque etiam Orientali, & quidem extra etiam Synodum Generalem.

SECTIO QUINTA.

Solvuntur Objectiones.

251. OBbji. I. Leges, seu Decreta Romani Pontificis etsi universalem Ecclesiam respiciant, ab Orientali minimè acceptantur; ergò eam minimè obstringunt. Ant. patet, cum hujusmodi Leges apud Orientales nequaquam sint in usu, imò à Schismaticis contemnuntur. Prob. autem conseq., Nam ad hoc ut Lex obliget, à Populo debet acceptari juxta illud August. de vera Relig. cap. 31. relat. dist. 4. cap. *in istis, Leges statuuntur dum promulgantur: firmantur, dum moribus approbantur*; ergò non acceptatæ, non obligant.

252. Resp. apud Græcos Catholicos mandata

data Romani Pontificis religiosè acceptari; atque exactè custodiri, quidquid sit de Schismaticis: nihilominus permisso ant. ne. conseq., nam Leges vim habent in se independenter à Populi consensu, quia Principes intrinseca dominativa gaudent potestate, & jure praecipiendi: Hinc Paulus ad Rom. 13. 5. *Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*: ita tenent gravissimi Doctores, ut Valentia, Suarez, de Castro, & alii, quos refert, & sequitur Laiman lib. 1. trac. 4. cap. 3. hoc autem magis de Lege urget Ecclesiae cujus Pastores, praecipuè Supremum vult Christus à nobis audiri Lucae 10. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Idcircò autem nonnulli DD. consensum Populi requirunt, non quia in se Lex minimè sit valida; sed quia, ut suavius servetur, praesumitur Princeps eam dependenter à Populi consensu tulisse. Videatur Bonac. disp. 1. quaest. 1.

253. Obji. II. Ad hoc ut Lex obliget, necesse est eam promulgari, nedum in Curia Principis, verum etiam in Provinciis, ad quas diriguntur, uti de Imperialibus habetur ex Authen. *Ut novae Constitutiones*: de Pontificis ex cap. *Cum infirmitas* de Poenit. & remiss.; sed Leges Pontificiae in Orientali Ecclesia minimè sunt promulgatae; hinc inter ejusdem Sacerdotes tanta Sacrorum Canonum regnat inscitia.

254. Difficultas haec ad rem non facit: hic enim quaerimus, an Leges Romani Pontificis universalem Ecclesiam afficientes, etiam Orientales secundum se constringant: pro-

mul-

mulgatio autem ab extrinseco se habet, & actum secundum respicit, non primum; itaque.

255. Resp. I. permiss. maj. ne. min. quam ipsi debent probare, cum rei sint conventi; & revera incredibile videtur, Leges Pontificias ipsis non fuisse promulgatas, cum Ecclesiæ Romanæ mos sit Decreta sua, Legesque, ad Patriarchas, Episcopos, & Apostolicos Vicarios, ubique dispersos transmittere, ut ab iis in Diœcesi sua publicatæ omnibus innotescant, ac propterea usque ad Indos perveniant; adeoque quantum ad hoc nullam habent excusationem.

256. Resp. II. ne. maj. quamvis enim solemnis requiratur publicatio, non tamen necesse est in singulis Provinciis, & Civitatibus fieri, sed sufficit in Curia Principis, ut plures sustinent Doctores apud Gonzal. tit. 2. c. 2. de Constit. & ita revera Curiæ stylus usu habet: Neque sequitur absurdum ignorantiæ, quod à Legum fractura excuset: Si enim revera Lex invincibiliter ignoretur, etiamsi esset promulgata, nullum crimen intervenit, cum ignorantia invincibilis malitiam auferat, ex proposit. 2. int. 31. Ab Alexan. 8. damnatas; si verò non adsit, peccatum committitur, cum revera tunc voluntarie fiat, & Lex à volente, & sciente, aut scire debente frangatur. Inobedientiam verò Legum suarum in Orientalibus Apostolica Sedes tolerat, non quia ex ignorantia prodeat, sed ne deteriora sequantur incommoda.

257. Obji. III. Quod est Photianorum fundamentum: Leges, & Decreta Pontificia extra Synodum generalem edita, absque consensu utriusque Ecclesiæ emanarunt; ergò non

non obstringunt utramque Ecclesiam. Prob. conseq. Nam quæ communem tangunt utilitatem, communi quoque consensu statuenda sunt, juxta regul. 29. juris in 6. *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*; ergò cum Decreta Romani Pontificis extra Synodum Generalem absque consensu Orientalis Ecclesiæ prodierint, & prodeant, eamdem minimè obstringunt.

258. Conseq. Leges ut bonæ sint, tales esse debent non tantum in se, sed prout Populos respiciunt, nisi Rempublicam Platonis inducere velimus: hoc autem fieri non potest, nisi à Synodo Generali, ubi Præsules Ecclesiarum, & Nationum peritissimi adsunt, Populorum consuetudines, naturamque callentes; ergò à Summo Pontifice latæ, Nationum indolem, ac mores ignorante, non obstringunt.

259. Resp. con. ant., & ne. conseq. ad cujus probationem dico, regulam illam juris in 6. esse nequaquam universaliter veram, ut optimè Glos., & patet in electionibus, in quibus, etsi omnes jus æquale habeant, adhuc tamen ad validitatem omnium suffragia non requiruntur, sed suffici major, & sanior pars eorum. Et profectò in Oecumenicis Synodis, nec omnes Fideles adsunt, nec semper Episcopi omnium Ecclesiarum, sed interdum pauci, cum tamen eorum Decreta omnes obligent, etiam eos, qui minimè Concilio interfuerunt. Sufficit ergò ad Legem ferendam, ubi regimen Monarchicum est, quale est illud Ecclesiæ, etiam juxta ipsosmet Græcos, Principis Supremi voluntas, nempè Romani Pontificis, uti sufficit in Diœcesi voluntas Episcopi, uti multis sæculis ante Conciliorum celebrationem fieri consuevit, etiam in Ecclesia

Orien-

Orientali; alioquin Principes omnes, etiam Supremi, nihil sine Regni comitiis agere possent, quod est manifestè absurdum.

260. Ad Confirm. permit. maj. ne. min. eamdem enim Synodi Generales difficultatem patiuntur, quibus non omnes assistunt Præsules Ecclesiarum, sed pauci ex ipsis: Summus igitur Pontifex ex omnibus Nationibus præstò habet Viros Doctissimos, & rerum agendarum peritissimos, quorum Consilio Leges statuit prò Ecclesia Universali, non minus Sapientia, quam suavitate spectabiles. Si verò eas interdum displicere contigerit, utpotè non ita Populo proficuas, ab ipsomet Summo Pontifice, filiali reverentia præmonito remedium expectandum est, qui vel agnita veritate, Legem revocabit, aut suspendet, aut temperamenta ministrabit. Hinc S. Polycarpus Smyrnensis Episcopus ad Anicetum Romanum Pontificem venit in causa Paschatis Die Dominico celebrandi, ibique non legem latam à Pio I. reprehendit, quasi incongruam, sed difficultates suas tantum proposuit Aniceto, à quo honorificè dimissus est: consuetudo verò Orientalium prò tunc fuit tolerata, ex Baron. ad an. Christi 167., Charitatis vinculo minimè disrupto.

SECTIO SEXTA

Ostenditur secunda pars Conclusionis, & nonnulla Quæsita solvuntur.

261. Secunda pars Assertionis, nempe non teneri Orientales ad Leges Pontificis, quoties ipse non exprimit in Lege Orientales; sed solummodo Occidentales: Patet: Nam

Lex

Lex tantum valet, quantum sonat, exprimit quippè mentem Legislatoris: In tali autem casu Ecclesia Orientalis minimè comprehenditur, sed solummodo Occidentalis; ergò sola Occidentalis ad Legem servandam tenetur. Idipsum de Synodi Oecumenicæ Decretis non Fidem, sed disciplinam respicientibus. Videmus quippè Sacros Canones optimè distinguere quos afficiant, nunc Orbem Universum, nunc Provincias peculiares, nunc Episcopos aliquos, nunc Patriarchas quosdam obstringendo. Objecta non solvuntur, quia nulla proponuntur.

262. Quæres primo, An consuetudo immemorabilis post Schisma adversus Canones, & Constitutiones Romani Pontificis introducta, Orientales Fideles à peccato excuset?

263. Resp. Consuetudinem adversus Canones Ecclesiæ Orientalis legitimè introductam à peccato excusare; non item adversus Canones Ecclesiæ Universalis.

264. Prima pars patet: Nam omnis consuetudo legitimè introducta, atque præscriptione firmata vim habet Legem etiam Ecclesiasticam abrogandi. Ita communis apud Bonac. de Leg. disp. 1. Quæst. 1. Part. 1. Propos. 2. ubi plures cumulat Assertores, uti revera multæ Leges pœnales abrogatæ fuerunt; ergò sicut licuit Ecclesiæ Orientali plures prò seipsa Leges condere, poterit quoque per oppositam consuetudinem abrogare legitimam.

265. Benè tamen verum est, hoc verificari de Universa Ecclesia Orientali; non verò de quibusdam in particulari Legem violantibus; quarè ex hoc, quod Photiani Schismatici nonnullas Leges illius Ecclesiæ abolleverint, non sequitur esse absolutè abrogatas,

cum

cum Photiani totam, & integram Ecclesiam Orientalem minimè complectantur.

266. Secunda quoque pars constat: Nam consuetudo numquam abrogat Legem à Suprema latam Potestate, quousque eidem consuetudini reluctatur explicitè aut implicitè; perseverat enim voluntas Principis ad Legem obligare intendentis: stante autem Schismate, Suprema Ecclesiastica Potestas, nempe Oecumenicum Concilium, aut Romanus Pontifex consuetudinibus post Schisma contra eorum Leges introductis, adversatur eo modo, quo ipsummet Schisma, ejusque sequelas detestatur; igitur Leges ipsis contrariæ sunt in suo vigore juxta Principis voluntatem, adeoque obstringunt.

267. Quæres II. An sedium Patriarchalium Præsules cum subditis suis in legibus Oecumenici Concilii, vel Romani Pontificis dispensare valeant?

268. Resp. hujusmodi Patriarchas, ordinaria perspecta facultate, in præfatis legibus dispensare minimè posse: inferior enim, sicuti legem superioris tollere nequaquam potest ex Clem. *Ne Romani* de Elect. ita neque dispensare, cum ex eadem prodeat authoritate, Cap. *Requisitis §. nisi rigor*: Quæst. 7. Patriarchæ autem illi, Romano Pontifice, Synodoque Oecumenica sunt potestate inferiores; igitur in eorum legibus nequeunt dispensare, uti de omni Episcopo sentiunt plures apud Laiman lib. 1. tract. 4. cap. 22.

269. Quia verò ab Urbe Roma longè distant, & eorum subditi ad eam difficulter pergere possunt, censeo, Patriarchas illos, si sint orthodoxi, posse in omni lege dispensare, quam sibi speciali ratione Romanus Pontifex

tifex

tifex minimè reservavit, cum hujusmodi facultas ad regendum Gregem suum sit ipsis necessaria, & sanè non video, cur amplissimis Patriarchis non liceat, quod gregariis Episcopis multi Doctores concedunt, ap. Laim. loc. cit. imò major facultas tribuenda est ob dignitatis, qua fulgent, eminentiam.

270. Si verò Patriarchæ illi schismatici sint; in opinione eorum, qui putant, Hæreticos, & schismaticos nominatim non denunciatos suam ordinariam retinere jurisdictionem, utique dispensare possunt, ac si non essent schismatici: at in opposita sententia utique nec dispensare, neque alios jurisdictionis actus exercere validè possunt, utpote eadem omnino spoliati, benè verò Præsules Orientales orthodoxi cum Latinis subditis suis dispensare queunt, cum diversitas Ritus jurisdictionem nequaquam auferat.

271. Quæres III. An Ecclesia Orientalis sit revera Schismatica, ut contradistinguitur ab Occidentali Orthodoxa?

272. Resp. Non esse secundum se Schismaticam, etsi multi in ea Schismatici sint. Numquam enim se Ecclesia tota Orientalis actu publico ab Occidentali rescidit, aut è contra; etsi ob hæreses exortas, nonnulli ejusdem Patriarchæ hæresi, aut Schismate communionem rejecerint, ut Nestorius, Acatius, & alii. Photius videtur quidem Universam Ecclesiam Orientalem ab Occidentali separasse; at ipso defuncto, utriusque Ecclesiæ communio in Lugdunensi secundo, & Florentino revixit, neque umquam unio illa publicè fuit extincta; imò in ipsomet schismate, sive ante Photium, sive post ipsum, floruere viri Doctissimi, atque Sanctissimi,

qui

qui Romano Pontifici arctissimo communionis glutine copulari gloriabantur, & nunc quoque inveniuntur homines gravissimi ex Orientalibus Ecclesiæ Romanæ, ejusque Pontifici obsequentissimi; cum Ecclesia Romana nunquam Ritus Orientalis abjecerit; imò custodiri severissimè mandaverit, rejectis tantummodò erroribus, qui apud Orientales emerserant, ut videmus in Decretalibus Leonis IX., Innocentii III., & IV., Gregorii X., Clementis VIII., & aliis.

273. Propterea Orientales errantes à Missionariis Apostolicis non durè increpari, sed amantissimè moneri debent, præsertim Græci, ut memores antiquæ sanctimoniæ Patrum suorum Chrysostomi, Basilii, Nazianzeni, aliorumque plurium illius Ecclesiæ Procerum, qui Romano Pontifici constantissimè adheserunt, ab eorum vestigiis minimè recedant, & in iis moribus, quos ab illis didicerunt, immoti permaneant, repulsis corruptelis à Grege hominum æquè improborum, atque indoctorum diffusis: Ecclesiamque Occidentalem, præcipuè Romanam minimè Orientales Christifideles odio habere, imò strictissimi amoris vinculo complecti, cujus præbent argumentum tot Collegia Romæ pro ipsis instruendis erecta: sed eorum tantummodo errores, atque pravas inde consuetudines inductas odisse: Romanam Ecclesiam non ipsorum novercam esse, sed Matrem, ipsisque amantissimè brachia charitatis extendere, ut eos complectatur, quoties ipsi filios se esse meminerint, non extraneos.

274. Quæres ultimò, An Ecclesiæ Orientales à Romana sejunctæ, veræ Christi Ecclesiæ censendæ sint?

275. Resp. negativè, desunt quippe ipsis Notæ, quas veræ Ecclesiæ competere ex Apostolico Symbolo didicimus, ad quas cæteræ aliæ reducuntur.

276. Non quidem Unitas: ex quo enim à Sede Petri discesserunt, in varias sectas abjerunt, & nunc quoque dividuntur, ut Nestorianos, Eutychianos, Severianos, Monothelitas, Acephalos, Pneumatomachos, qui numquam in eadem, sicut antiqui Ariani, convenire potuerunt, aut possunt communi sententia. Legatur Theodoret. de Hæret. Fab. Epiphan. de Hæres.

277. Sanctitas profectò ipsis minimè competit; nullum enim Virum assignare possunt, qui, vigente Schismate, ipsumque sequendo, sanctitate floruerit: qui verò sanctimoniæ laudem sunt consecuti, ut S. Nilus, Sanctus Nico, aliique nonnulli, non Schismati adhæserunt, sed Romanæ Ecclesiæ Sociati leguntur, ap. Baron. ad an. Christi.

278. Dogmata ipsa, quæ ab ipsis traduntur, utique Sanctitatem non spirant. Quid enim fœdius Eutychiana hæresi, Deum passibilem faciente, atque Incarnationem Verbi Divini evertente? Quid stultius Nestoriana impietate, duas Personas in Salvatore nostro asserente, ac proinde Redemptionem hominum tollente, & Sacramenta Pœnitentię, Confirmationis, & Extremæ Unctionis evertente?

279. Catholicas quoque Ecclesias suas Orientales dicere Adversarii nequeunt, quatum nec Pastores Universales dantur, & Doctrinæ ab eis traditæ ad Sectarios suos tantummodo coarctantur, nec semper fuisse etiam apud ipsos, sed potius ab Hæresiarchis inductæ apparent.

280. Mul-

280. Multò autem minus Apostolicæ dicendæ sunt: etsi enim nonnullæ ab ipsismet Apostolis fuerunt fundatæ, non tamen retinent Apostolicam Successionem, cum doctrinæ ab ipsis tradantur Apostolicæ Traditioni repugnantes, & plerumque non à Viris Apostolicis, sed potius Apostaticis, & hæreticis fuerint possessæ, ut patet de Nestorio, Dioscoro, Acatio, Petro Gnafeo, aliisque Dei hostibus, quos Ecclesia ipsa Universalis condemnavit; nec enim sufficit Cathedræ successio, sed requiritur successio doctrinæ ab Apostolis acceptæ.

281. Ecclesia autem Romana omnibus his est plenè ornata prærogativis. Est quippe una. Primo ratione ejusdem Capitis Universalis, qui eam gubernat, nempe Romani Pontificis. II. Ob eamdem doctrinam semper ubique traditam, & custoditam. III. Eadem Sacramenta ministrantur ubique, licet non eodem ritu, quæ diversitas ejus pulchritudinem, & Majestatem ostendit, eademque semper etiam ab incunabulis, usque ad nostra tempora mansere incorrupta. IV. ratione conjunctionis membrorum, nempe Patriarcharum, Episcoporum, Presbyterorum, Monachorum, & Simplicium Fidelium cum Romano Pontifice, & inter se, qui omnes unum Corpus perfectissimum efficiunt, cum admirabili varietate conjunctum.

282. Sanctitas quoque Ecclesiæ Catholicæ Romanæ competit. I. Ratione doctrinæ impietatem, & improbitatem omnem damnantis, Carni, & Sanguini adversæ, quam sequentes Sancti efficiuntur. II. Ob eximiam suorum probitatem, & sanctimoniam, quæ in pluribus ejusdem Ecclesiæ discipulis etiam

275. Resp. negativè, desunt quippe ipsis Notæ, quas veræ Ecclesiæ competere ex Apostolico Symbolo didicimus, ad quas cæteræ aliæ reducuntur.

276. Non quidem Unitas: ex quo enim à Sede Petri discesserunt, in varias sectas abjerunt, & nunc quoque dividuntur, ut Nestorianos, Eutychianos, Severianos, Monothelitas, Acephalos, Pneumatomachos, qui numquam in eadem, sicut antiqui Ariani, convenire potuerunt, aut possunt communi sententia. Legatur Theodoret. de Hæret. Fab. Epiphan. de Hæres.

277. Sanctitas professò ipsis minimè competit; nullum enim Virum assignare possunt, qui, vigente Schismate, ipsumque sequendo, sanctitate floruerit: qui verò sanctimoniæ laudem sunt consecuti, ut S. Nilus, Sanctus Nico, aliique nonnulli, non Schismati adhæserunt, sed Romanæ Ecclesiæ Sociati leguntur, ap. Baron. ad an. Christi.

278. Dogmata ipsa, quæ ab ipsis traduntur, utique Sanctitatem non spirant. Quid enim fædius Eutychiana hæresi, Deum passibilem faciente, atque Incarnationem Verbi Divini evertente? Quid stultius Nestoriana impietate, duas Personas in Salvatore nostro asserente, ac proinde Redemptionem hominum tollente, & Sacramenta Pœnitentię, Confirmationis, & Extremæ Unctionis evertente?

279. Catholicas quoque Ecclesias suas Orientales dicere Adversarii nequeunt, quarum nec Pastores Universales dantur, & Doctrinæ ab eis traditæ ad Sectarios suos tantummodo coarctantur, nec semper fuisse etiam apud ipsos, sed potius ab Hæresiarchis inductæ apparent.

280. Mul-

280. Multò autem minus Apostolicæ dicendæ sunt: etsi enim nonnullæ ab ipsismet Apostolis fuerunt fundatæ, non tamen retinent Apostolicam Successionem, cum doctrinæ ab ipsis tradantur Apostolicæ Traditioni repugnantes, & plerumque non à Viris Apostolicis, sed potius Apostaticis, & hæreticis fuerint possessæ, ut patet de Nestorio, Dioscoro, Acatio, Petro Gnafeo, aliisque Dei hostibus, quos Ecclesia ipsa Universalis condemnavit; nec enim sufficit Cathedræ successio, sed requiritur successio doctrinæ ab Apostolis acceptæ.

281. Ecclesia autem Romana omnibus his est plenè ornata prærogativis. Est quippe una. Primo ratione ejusdem Capitis Universalis, qui eam gubernat, nempe Romani Pontificis. II. Ob eamdem doctrinam semper ubique traditam, & custoditam. III. Eadem Sacramenta ministrantur ubique, licet non eodem ritu, quæ diversitas ejus pulchritudinem, & Majestatem ostendit, eademque semper etiam ab incunabulis, usque ad nostra tempora mansere incorrupta. IV. ratione conjunctionis membrorum, nempe Patriarcharum, Episcoporum, Presbyterorum, Monachorum, & Simplicium Fidelium cum Romano Pontifice, & inter se, qui omnes unum Corpus perfectissimum efficiunt, cum admirabili varietate conjunctum.

282. Sanctitas quoque Ecclesiæ Catholicæ Romanæ competit. I. Ratione doctrinæ impietatem, & improbitatem omnem damnantis, Carni, & Sanguini adversæ, quam sequentes Sancti efficiuntur. II. Ob eximiam suorum probitatem, & sanctimoniam, quæ in pluribus ejusdem Ecclesiæ discipulis etiam

Orientalibus effulserunt, miraculis, & prodigiis multis comprobatæ. III. Ratione mediorum, quibus utitur, nempe Sacramentis, Ritibus, & Observantiis ex antiquitate haustis omni pænitus nævo, maculaque abstersis. IV. Exemplis sanctimoniæ, atque exhortationibus planè divinis, quibus Fideles ad sanctitatem adducuntur.

283. Nota Catholicæ, seu Universalis Ecclesiæ quoque competit Romanæ. I. Ratione Capitis Universalis, nempe Romani Pontificis, qui semper ab initio Ecclesiæ omnibus Fidelibus præfuit, eorumque curam gessit, & nunc quoque gerit. II. Ratione Doctrinæ ejusdem omni tempore post Ecclesiæ ortum, & omni penes loco diffusæ.

284. Nota quoque Apostolicæ congruit Ecclesiæ Romanæ. I. Quia Sedem possidet à Principe Apostolorum fundatam, in qua successione legitima Pontifices à D. Petro, usque ad CLEMENTEM XII. hodie regnantem, Spirituali Principatu Universæ præsunt Ecclesiæ. II. Ipsissimam Doctrinam, quam ab Apostolis accepit, immaculatam conservat, ut optimè Agatho Papa epist. ad Constantinum Pogonatum. III. Quia disciplinam, Ritus, Leges ac Sacra instituta ab Apostolis tradita semper servavit, actuque inviolatè custodit; hinc ad ipsam, veluti Fidei, & vivendi regulam Fideles accedere mos fuit, ex Iren. lib. 3. cont. hæres. cap. 3. IV. quia Fidem illam, quam ab Apostolis accepit, nititur ad exteras Gentes dilatare, missis ad munus hoc doctis, ac sanctis viris, sicut retroactis quoque sæculis semper præstitum est.

285. Hæc omnia evincunt, Ecclesiam Romanam esse Unam, Sanctam, Catholicam,

cam, & Apostolicam; adeoque unicam esse viam salutis æternæ assequendæ. Utinam Orientales Acatholici hæc percipiant, atque à Deo consequentes lumen Veritatis, voluntatis quoque consecutionem accipiant.

TRACTATUS II.

De Processione Spiritus Sancti à Filio.

1. UNum ex capitalibus dogmatibus, quibus Orientales Acatholici à Latinis Orthodoxis scinduntur, est Processio Spiritus Sancti à Filio, quam obstinatissimè insectantur, cujus origo erroris à nonnullis Paulo Samosateno, & ex eodem Nestorio adscribitur, quem postea Photius immanis dissidii Author sibi, & Ecclesiæ Orientali proprium fecit, eumque Discipuli strenuè sunt prosecuti, Michael Cærularius, Petrus Antiochenus, Leo Acridanus, & alii; etsi in Synodis Barensi, Lugdunensi II., ac Florentino prostrati. Videndum est nunc, quo fundamento Latini asserentes, Græci denegantes nitantur? Quoniam verò nonnullæ quæstiones cum hac connexionem habent, nec divisim prò dignitate tractari queunt, Tractatum in tria Capita dividemus. In Primo investigabimus, Utrum Spiritus Sanctus etiam à Filio procedat? In II. Utrum particula *Filioque* potuerit Symbolo à Latinis addi? In III. An debuerit?

CAPUT PRIMUM

Utrum Spiritus Sanctus non solum à Patre, verum etiam à Filio procedat?

2. NEmo ex Græcis etiam Etherodoxis est, qui negare audeat, Spiritum Sanctum à Patre procedere, à quo Divinitatem æterna haurit processione, ac proinde Deus est, uti adversus Macedonii impietatem Synodus I. Constantinopolitana diffinivit, ex Joan. 15. 18. & aliis locis; sed vocatur in controversiam à Græcis, An sicut à Patre, ita etiam à Filio procedat, tamquam ab unico principio?

SECTIO PRIMA

Statuitur Conclusio Affirmativa.

Dicendum est, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere tamquam ab unico principio.

3. PAtet ex divinis Scripturis: Nam missio unius Personæ Divinæ ab alia denotat originem, & processionem unius ab altera: hinc Pater mittere semper dicitur in Scripturis, numquam mitti: Spiritus autem Sanctus dicitur mitti à Filio ex Joan. 14. 28. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*: Hæc autem missio non in solis donis consistit, ut ajunt Græci; sed in ipsius Personæ processione, ex Rom. 5. 6. *Gratia Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Activa igitur missio ex parte Fi-

Filii exprimitur, passiva ex parte Spiritus Sancti; ergò Spiritus Sanctus à Filio quoque procedit.

4. II. Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii ad Gal. 4. 6. *Quoniam autem estis Filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, in quo clamamus: Abba* (*Pater*); ergò Spiritus Sanctus procedit etiam à Filio, sicut procedit à Patre, cujus est Spiritus; alioquin, si identitas essentiæ, vel æqualitas procedendi à Patre efficeret, Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, etiam Filius esset Spiritus Spiritus Sancti, cum habeat eamdem essentiam, & etiam procedat à Patre, quod tamen absurdissimum est: & ita hunc locum intelligunt Cyril. Alexan. Com. 9. in Joan. Athan. orat. cont. Arianos, & epist. ad Serap.

5. III. Spiritus Sanctus dicitur in Scripturis haurire à Filio, ab ipso audire, & ab ipso, & de ipso accipere, ut Joan. 16. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur:* subdit deinde v. 14. *ille me clarificabit, qui de meo accipiet:* adducit autem rationem v. 15. cur accipiet *de meo*, quia nimirum: *omnia quæcunque habet Pater mea sunt; propterea dixi quia de meo accipiet*: ergò Spiritus Sanctus procedit quoque à Filio. Prob. conseq. nam quia Filius dicitur à Patre nasci, haurire, audire, loqui, ac substantiam accipere, colligunt Patres ineffabilem Filii generationem à Patre, ut Chrysost. in Joan. c. 22. Cyril. Jerosol. Cathec. 16. Athanas. ad Serap. ergò propter similes Scripturæ locutiones Spiritus Sanctus procedit à Filio, alioquin si, ut volunt Adversarii, salvarentur illæ loqutiones ob identitatem Essen-

tiæ, & potestatis Spiritus Sancti cum Filio, etiam Filius à Spiritu Sancto, Pater à Filio audiret, & acciperet, & consequenter Filius à Spiritu Sancto, Pater à Filio nasceretur, quod absurdissimum est. Et revera loca adducta hoc pacto intelligunt Dydimus lib.2. de Spirit. Sanc. Basil. de Spirit. Sanc. cap.8. Cyril. Alexan. lib.10. in Joan. igitur ex Divinis Scripturis habetur processio Spiritus Sancti non solum à Patre, verum etiam à Filio, veluti unico principio.

SECTIO SECUNDA

Idipsum ex Conciliis ostenditur.

6. EX Provincialibus ante ortum Schisma, Toletanum I. adduci potest, cap.21. Tertium, Quartum, Octavum, & Undecimum cap. I. Barense paulo post exortum schisma, D. Anselmo veritatis adversùs Græcos propugnatore, celebratum; in quo Græcos convictos asserit Endinerus ejus Comes in ipsius vita lib.2., adduci possent: at his omissis, utpote pure Latinis, etsi antiquissimis, produco Alexandrinum à D. Cyrillo in causa Nestorii coactum, & à quo de mente, & consensu ejusdem Synodi ad Nestorium epistola scripta est, hæc verba de Spiritu Sancto continens: *Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est; undè & ab isto similiter sicuti ex Patre procedit.*

7. Nec dici debet, hæc verba incidenter tantùm esse prolata. Contra enim est; illa enim verba prolata fuere contra Nestorium, qui nedum circa Verbi Dei Incarnationem, verum etiam de processione Spiritus Sancti

tur-

turpiter errabat; ut patet ex Symbolo à Nestorianis Ephesinæ Synodo oblato.

8. Synodi Oecumenicę idipsum senserunt. In Ephesina I. act. 5. recepta est præfata epistola Cyrilli Alexandrini cum sua Synodo. Calcedonensis autem act. 5. Epistolam hanc commendat, & fatetur: *Non tantum ad comprimendas Nestorii vesanias, sed etiam ad interpretanda ea, quæ ad salutaris Symboli intelligentiam conducunt se recipere*; igitur quidquid in illa Epistola dicitur, ut Catholica veritas agnoscitur; ergò etiam processio Spiritus Sancti à Filio.

9. Synodus V. condemnat eos, qui defendere audent scripta à Theodoreto contra duodecim Cyrilli Alexandrini Anathematismos: ipse verò Theodoretus in confutatione Anathematismi 9. processionem Spiritus Sancti à Filio oppugnavit ad Joannem Antiochenum Præsulem, concedens quidem à Patre procedere, non tamen à Filio, inquit enim: *Si verò tamquam ex Filio, aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum, & implum rejiciemus.*

10. Addi possunt Latina Concilia Oecumenica, quibus ipsimet Græci præsentes fuerunt, disputarunt, & unanimi cum Latinis consensu veritatem hanc amplexi sunt. Lateranense IV. sub Innoc. III. an. sal. 1225. in quo Patriarchæ Constantinopolitanus, & Jerosolymitanus cum Alexandrini, & Antiocheni Legatis adstiterunt: Lugdunense secundum sub Greg. X. ibidem per se præsente, & Michaele Paleologo Imperatore, in quo particula *Filioque* ter Græcè, terque Latinè solemniter recitata est, ex ipsismet Actis Concilii: Florentinum sub Eugenio IV. Romano

Pontifice, & Joanne Paleologo Græcorum, Augusto, & Joseph eorumdem Regiæ Urbis Patriarcha per se ipsos Synodum illam decorantibus, ut ex ipsismet Actis liquidissimè constat; igitur ex Conciliis Spiritus Sanctus non tantum à Patre, sed etiam à Filio veluti unico principio procedit.

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Patribus ostenditur.

11. EX Latinis plures adducere possemus, & quidem ante fatale schisma longissimo tempore florentes, Hilarium, Damasum, Hieronymum, Augustinum, Fulgentium. Leonem Magnum, Gregorium Magnum, Toletani quarti, sexti, octavi, & undecimi Patres, aliosque quamplures, quos æquali suscipi veneratione jubet Synodus V. coll.3. & VI. act.10. His tamen omissis, Orientales tantummodo produco, paucos tamen, & gravissimos; Epiphanius ergò pluribus in locis, sed præcipuè hæres.62. quæ est Sabellianorum, ita de Spiritu Sancto loquitur: *non alienus est à Patre, & Filio, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre, & Filio, cum Patre, & Filio subsistens semper Spiritus Sanctus.* Et in Ancor. sub initio: *Spiritus Dei, & Spiritus Patris, & Spiritus Filii, non compositione aliqua, quemadmodum in nobis anima, & Corpus, sed inter Patrem, Filiumque medius ex Patre, & Filio appellatione tertius.* Quid clarius? Basilius Magnus lib.3. contra Eunom. *Cur, inquit, necesse est, si dignitate, & Ordine tertius est Spiritus Sanctus, natura quoque tertium esse? Dignitate namque secundum à Filio, cum ab*

ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit, natura verò tertium, uti neque ex Sanctis Scripturis didicimus, neque ex Scripturis colligere possibile est; igitur cum ex Sancto Doctore Spiritus Sanctus sit tertia ordine Persona, & habeat esse, & omnino à Filio dependeat; in sententia Sancti Basilii à Filio procedit. Athanas. præter alia loca epist. ad Serap. vocat hæreticos quoscumque, *nisi Spiritum Sanctum profiteantur. Deum, essentialiter ex Deo Filio existentem, sicut & Filium naturaliter Deum genitum ex Deo Patre existentem, ut nos profitemur*, Cyrillus Alexandrinus pluribus in locis idipsum asserit, sed liquidissimè lib. 11. in Joan. 25. *Ex ipsa substantia Dei Patris prodiens, profusus autem ad Sanctos per consubstantiale Verbum, à quo est secundum emissionem ad esse, atque subsistere*: & lib. Thesaur. cap. 2. *Sic Filium Dei ex ipso, & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus, ex Filio autem naturaliter, & substantialiter Spiritum Sanctum, sicut ex Patre provenire credimus*; igitur Spiritus Sanctus verè ex Filio procedit, sicut Filius ex Patre, non per temporales tantum emissiones, sed per æternam emanationem. Chrysostomus ad Rom. 2. de Symb. *Istum*, inquit, *Spiritum Sanctum dicimus Patri, & Filio coæqualem, & procedentem à Patre, & Filio*. Quid evidentius dici potest? Plures aliæ authoritates videri possunt apud Bessarion. orat. ad suos habita in Floren. Synod. Gennad. Schol. Nicephorum, Blemmidam, Joannem Veccum, aliosque clarissimos viros ex Græcis, qui veritati elucescenti manus dederunt, & ab antiquo recesserunt errore; igitur ex Patribus Spiritus

Sanctus nedum à Patre, verum etiam à Filio procedit, tamquam unico principio.

SECTIO QUARTA

Idipsum ratione Theologica evincitur.

12. Occurrit I. Ratio, quam adducit Sanctus Thomas par. 1. quæst. 36. art. 2. Seraph. Bonav. in I. Sen. Dist. 1. quæst. 11. & alii passim Scholastici: Quia nimirum, nisi Spiritus Sanctus procederet à Filio, ab eodem minimè distingueretur: hoc autem falsissimum est: tunc enim non tres, sed duo tantum essent Personæ, quod quidem hæreticum est, & Sabelliano favens errori. Prob. autem seq. maj. Quia in Divinis nulla datur distinctio, nisi adsit oppositio relativa, & unius ab altero originatio, ex Vormat. in confes. Fidei. Nazianzeno orat. 37. Cyril. Alexan. lib. 7. cap. 1. aliisque pluribus ap. Macedo in 1. sentent. coll. 7. dist. 2. si autem Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non daretur oppositio relativa inter Spiritum Sanctum ac Filium, & sic non esset distincta Persona, & propterea quia in Patre Paternitas, & Spiratio activa non opponuntur, duas Personas diversas minimè constituunt.

13. Addi potest argumentum, quo utitur Doctor Subtilis 1. senten. dist. 11. quæst. 1. §. *Ad hoc est ratio*. Habens principium productivum, à passivo minimè dependens, nec potens impediri, ante quamcumque productionem, potest illo producere: Filius autem in Divinis principium habet amoris adæquati, nempe voluntatem ut actus sui præintelligitur productioni; ergò de facto producere potest fœtum suum, nempe Spiritum Sanctum; ergò

de

de facto producit: in Divinis enim posse, & actu agere non distinguuntur: maj. patet ex semetipsa, prob. minor; nam Filium habere in se perfectum principium productivum spirationis Spiritus Sancti constat ex Mat. 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: Pater autem habet hujusmodi fæcunditatem; ergò eam quoque habet Filius: Quod verò antequam præintelligatur Spiritus Sancti productio, in Filio inveniatur hujusmodi fœcunditas, patet: nam productio Filii, utpotè per intellectum, præcedit illam Spiritus Sancti, quæ fit per voluntatem; sed in istanti originis, quo producitur Filius, communicatur eidem fœcunditas spirandi Spiritum Sanctum, hanc enim profectò à Spiritu Sancto non habet, sed ab ipsomet Patre; ergò priusquam intelligatur processio Spiritus Sancti, intelligitur generatio Filii Spiritum Sanctum spirare potentis: ergò in illo eodem instanti originis spirat, adeoque Spiritus Sanctus à Filio procedit. Hanc rationem tetigit Cyrillus Alexand. super cap. 14. Joan. ad illa verba: *Ego rogabo Patrem*, & citatur ab Andrea Rhodio sess. 6. Florent. Synodi. Alia quoque argumenta possunt ex Scholasticis adduci: at, quoniam ad ista reducuntur, omitto.

14. Obji. I. Sic: in Sacris Scripturis non habetur Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio: ergò ab ipso non procedit: Divina enim scriptura, utpote Verbum Dei, regula censetur credendi. Prob. ant., nam nullibi in Evangelio dicitur, Spiritum Sanctum à Filio procedere, benè verò à Patre; ut patet Joan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Quod vero dicatur Spiritus Sanctus mitti à Filio Joan. 16. 7. nihil

evin-

evincit, probaret enim, Filium à Spiritu Sancto quoque procedere, cum Isaiæ 48. 16. & 61. 1. de Christo habeatur: *Et nunc Dominus meus misit me, & Spiritus ejus*; Ergò ex missione non colligitur processio Spiritus Sancti à Filio, sed solummodo externa donorum manifestatio, quæ omnibus æquè competit Personis Divinis; ergò ex Scripturis non colligitur processio Spiritus Sancti à Filio.

15. Resp. I. ne. conseq. multa enim dogmata credimus in Sacris Scripturis nequaquam expresſè contenta, ut ipsimet Græci cum Latinis confitentur, à Magno Basilio edocti cap. 27. de Spiritu Sancto, & multi ex Græcis Patribus docuerunt, ut supra visum est.

16. Resp. II. ne. ant., ad cujus probationem in corpore quæstionis satis ex Scripturis ostendimus, Spiritum Sanctum à Filio procedere, à missione præscindendo: cæterum etiam probatio ex missione deducta magnopere convincit; videmus enim, Patrem numquam mitti, Filium verò mittere, & mitti; Spiritum Sanctum numquam mittere, sed solummodo mitti; ergò quando dicitur in Scripturis mitti à Filio, arguitur à Filio procedere: nam si per missionem exteriora tantum dona intelligerentur, non magis Spiritus Sanctus à Filio, quam Filius à Spiritu Sancto mitti diceretur, ut superius dictum est.

17. Locus verò ex Isaiæ 48. & 61. desumptus, ubi Filius dicitur mitti à Spiritu Sancto, necessariò intelligendus est de Filio quoad assumptam humanitatem, non verò quoad Personæ originationem; Filium enim à Spiritu Sancto procedere repugnat, cum sit eodem Spiritu Sancto generatione prior, non verò repugnat Spiritum Sanctum à Filio procedere,

cum

cum naturale sit, actum voluntatis actione intellectus esse posteriorem, sivè in operando, sive in producendo. Locum verò Isaiæ citatum intelligendum non esse de ipsa Persona, patet ex textu ubi dicitur: *Spiritùs Domini super me, eo quod unxerit me Dominus: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam &c.* Quæ sanè Personæ Filii nequaquam conveniunt secundum se acceptæ.

18. Obji. II. Processio Spiritus Sancti à Filio in Symbolis Fidei à Conciliis veteris Ecclesiæ editis minimè continetur, ut patet ex Symbolis Nicæni I., Constantinopolitani I., Chalcedonensis, Ephesini I. &c. imo in Ephesino I. rigidissimè vetitum est quidquam addi, vel minui etiam quoad minimam particulam, quod quidem subsequentia Orientis Concilia exactè servarunt; ergò Spiritus Sanctus non procedit à Filio. Ant. constat; conseq. vèrò probatur: nam si esset hujusmodi processio Fidei dogma, non verò simplex opinio, debuisset sicut cætera dogmata in Symbolis, & Decretis Fidei exponi; ergò si nequaquam positum est, aut falsum facit dogma, aut saltem mera est Latinorum opinio, quæ cæteros Fideles obstringere non debet.

19. Resp. dist. ant. explicite con. ant. implicite neg. ant., & conseq. ad cujus probationem neg. ant. Ideo enim Patres Conciliorum, etsi processio Spiritus Sancti à Filio dogma esset Fidei, nec in Symbolo explicitè poneretur, eam minimè addiderunt, quia nulla necessitas urgebat, cum nemo adhuc huic mysterio contradiceret, sufficienter expresso in Symbolo Apostolorum. Quia verò processu temporis Ecclesia cognovit, hujus-

modi

modi additionem esse necessariam, propterea particulam apposuit *Filioque* ut hujusmodi dogma significaret, de fide tenendum: ex quo non colligitur, antea non fuisse de Fide, sed antea, vel non ita innotuisse, vel Patres hujusmodi additionem, nullis adhuc erroribus adversus eam exurgentibus, opportunam minimè censuisse.

20. Obji. III. Patres etsi affirment, Spiritum Sanctum per Filium procedere, non tamen à Filio, ut Damascen. lib. 1. de Fid. orthodox. Alii aperte negant procedere à Filio, ut Dionys. de Divin. Nom. Cap. 1. Nazianz. in orat. ad Episcop. qui ex Ægypto venerant, Justinus Martyr in expos. Fid. Basil. Magnus epist. 43. Alii autem asserunt, nihil Filium habere cum Patre commune, præter essentiam, atque utrumque à Patre exire, sed diversimodè; ergò ex Patribus Spiritus Sanctus non procedit à Filio.

21. Resp. neg. conseq. nam Patres asserentes, Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedere, nobis favent, eo quia præpositio *Per* influxum, & efficientiam aliquam significat: hinc Joan. 1. 3. De Filio Dei dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, & 1. Corinth. 8. 6. *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. Sicut ergò Græci, ex eo quia Patres asserunt, Filium à Patre genitum, quia dicunt nasci per Patrem, fatentur Filium à Patre verè manare, atque prodire, cur negant, Spiritum Sanctum procedere à Filio, per quem dicunt quoque oriri, emitti, profundi? Idcircò autem nonnulli Patres negant, Spiritum Sanctum ex Filio, seu à Filio procedere, eo quia ly *ex* denotat primum, & fontale principium, Patri solummodo conveniens,

niens, à quo velutì ab originali fonte Filius, & Spiritus Sanctus oriuntur, quem ipse utpote prima Persona nullum agnoscit; Filium verò à Patre habere, ut in Spiritus Sancti processionem influat.

22. Ob eamdem quoque rationem adstruunt Patres, Divinas Personas opponi inter se, nullamque convenientiam habere; quando quidem uti inter se hypostàticè opponuntur, nullam profectò communionem habent, non tamen opponuntur inter se relativè Pater, & Filius Spiritum Sanctum producentes, cum unicum sint principium in virtute spirativa, licet duo sint materialiter Divina supposita, quorum unum ab altero producitur.

23. Obji. IV. Pater est sufficiens, & perfectum principium processionis Spiritus Sancti, & quidem priùs origine, quam Filius producatur; ergò Spiritus Sanctus non procedit à Filio: ant. est certum, cum Pater sit prima Persona, quæ propterea fons, origo, ac principium omnium Divinarum emanationum à Theologicis, & Patribus appellatur: conseq. Prob. quia si Pater prius origine Filio est principium perfectum, nec Filio indiget ad productionem Spiritus Sancti; ergò independenter à Filio Spiritum Sanctum producit: adeoque non procedit à Filio, cum jam intelligatur productus à Patre independenter à Filio, sicut ob eamdem rationem Filius producitur independenter à Spiritu Sancto.

24. Eo magis quia Spiritus Sanctus, etiam si non à Filio procederet, adhuc tamen modum haberet processionis incompossibilis cum Filio, & constitueretur in esse personali independenter à Filio, nam procederet per mo-

dum

dum voluntatis; uti Filius per modum generationis, ex August. 5. de Trinit. cap. 14. ergo non procedit à Filio.

25. Resp. ad Argumentum hoc, quod in creatione quoque cujuscumque rei objici posset neg. conseq., ad cujus probationem nego pariter conseq. etsi enim Pater ob summam sui fœcunditatem, posset ex se per modum voluntatis dare esse Spiritui Sancto, sicut dat esse Filio per modum æternæ generationis, attamen, quia Spiritus Sancti non adhuc intellecta spiratione, Filio communicat eamdem qua ipse gaudet, fœcunditatem, idcirco non superfluit, sed summè necessarius est influxus Filii, sine quo ipsemet Pater nequaquam esset Pater; constituitur enim in esse Patris per generationem activam, qua refertur ad Filium. Cum ergò ista communicatio sit summè necessaria, necesse quoque est, Spiritum Sanctum à Filio procedere, non quidem tamquam principio diverso, sed penitus, & numero eodem.

26. Ad id, quod subditur, in via D. Thomæ, & ejusdem Discipulorum facilè reponeretur, in tali casu non futuram ullam personalem distinctionem; quia tunc non daretur oppositio relativa: In schola vero Doctoris Subtilis futuram quidem in illa hypothesi distinctionem realem à Filio ob rationem adductam: quia tamen de facto Filius ante Spiritum Sanctum originis prioritate prius, propter ordinem emanationum intellectus, & voluntatis, nascitur à Patre, tunc virtutem eamdem obtinet spirativam, ut Divinis instruimur scripturis; idcircò esse suum personale in genere emanativo, Spiritus Sanctus habet à Filio, adeoque etiam ab ipso procedit.

27. Nec

27. Nec propterea, uti perperàm Græci inferunt, sequeretur, Spiritum Sanctum esse Patris Nepotem: nam una est numero actio spirativa Patris, & Filii erga Spiritum Sanctum; igitur Spiritus Sanctus non est Patris Nepos, nec dantur duo Filii, quandoquidem verus, & unicus Filius per generationem, Spiritus Sanctus sola processione oriuntur.

28. Obji. V. tum quia nullum simplex, qualis est Spiritus Sancti Persona, duplex principium Authorem habere potest, indivisibiliter quippè procedere debet: tum quia, vel Spiritus Sanctus ab essentia, ut virtutem spirativam dicit, emanaret, vel à Patre, & Filio, ut Personæ sunt: non quidem ab essentia; quia tunc ad ipsam referretur relatione reali, quod à Lateranensi IV.in Abbate Joachim damnatum est: non ad Personas Patris, & Filii, nam ut tales opponuntur inter se, non verò ad Spiritum Sanctum referuntur.

29. Resp. ad primum: Personas Patris, & Filii non esse duo principia Spiritus Sancti: sed unum tantum, in cujus processione attenditur virtus spirativa, quæ in utroque est unica, non verò supposita spirantia.

30. Ad secundum dico, Spiritum Sanctum ab essentia procedere, veluti à principio remoto: à virtute spirativa, ut à principio proximo *Quo*; à Patre, & à Filio sicuti à principiis *Quod*; & propterea Spiritus Sanctus non refertur ad essentiam, aut virtutem spirativam, sed ad Patrem, & Filium, uti supposita spirantia, quæ, etsi inter se relativè opponantur, tamen, cum in virtute spirativa sint unum, in ratione unici principii, ad Spiritum Sanctum referuntur, tamquam commune productum; eo pacto quo de creatione di-

discurrimus, in qua tria sunt supposita creantia, sed unicus Creator, eo quia virtus creativa est una, licet supposita creantia sint tria, ut optimè August. lib. 5. de Trinit. Cap. 15.

CAPUT II.

An particula Filioque *Symbolo addi potuerit?*

31. GRæci in Florentina Synodo, maximè Marcus Ephesius, acriter Latinos accusarunt, eo quod Symbolo Niceno particulam *Filioque* adjecerint, veluti defectionis eorum ab Ecclesia Romana originem. Videndum est, an justam in hoc habuerint causam acerbè adeò conquerendi?

SECTIO PRIMA

Quædam Resolutioni præmittuntur.

32. ADvertendum est, additionem Symbolo tripliciter fieri posse. I. Addendo aliquid contrarium, & corruptivum veræ Doctrinæ in Symbolo contentæ. II. Addendo aliquid non corruptivum quidem germani sensus, disparatum tamen, & omninò inutile. III. Addendo aliquid, clariùs explicans, quod implicitè, & virtualiter in priori continebatur.

33. Advertendum est. II Hanc additionem fieri posse vel à privatis Personis, aut à publica Potest te, nempe Romano Pontifice, vel Synodo Generali, aut Patriarchali; & quidem aut tempore pacis, quo nullus error irrepsit, aut quoties insurrexit aliquis hostis veritatis, & hoc quidem vel cum onere obedien-

diendi, vel citra ipsum, & hoc quidem aut Græcis consultis, vel ipsis minimè auditis.

SECTIO SECUNDA

Dicendum est, particulam Filioque *potuisse à Latinis Symbolo apponi, Græcis minimè consultis.*

34. PRob. autem prima pars sic: nam per Latinos, aut intelligitur Romanus Pontifex, ut Petri Successor, & Ecclesiæ Universalis Pastor: aut veluti Occidentalis Patriarcha cum sua Synodo Nationali: omnibus autem his modis potuit addi articula *Filioque*; si enim ut Petri Successor, Romanus Pontifex spectetur, utique hanc additionem, & declarationem Symboli edere potuit, cum Magister sit, & Doctor Universalis Ecclesiæ, ad quem pertinet Vineæ Christi custodia, ex Chalcedon. epist. ad Leonem Magnum: qua igitur ratione Apostoli Symbolum condiderunt, & Nicæna Synodus idem explanavit verbis clarioribus additis, idipsum licuit Romano Pontifici, Apostolorum successori, ad quem pertinet Fratres in fide confirmare, ex Syn. VI. epist. Agat. ad Imperat. cum sit eadem nunc Ecclesia, eadem Sedes, eadem Fides. Hoc argumento Julianus Cardinalis Marcum Ephesium in Floren. sess. 7. exagitabat. Nec opus erat ad hoc ulla Synodo Generali, cum ante Nicænam Synodum Romanus Pontifex pluribus sæculis magisterium Petri exercuerit nulla Synodo Generali coacta etiam apud ipsosmet Græcos, ut suo visum est loco.

35. Si autem Romanus Pontifex ut Patriarcha dumtaxat Occidentalis spectetur, res

pla-

planior est; unusquisquè ènim Patriarcha, imò Episcopus in sua Diœcesi potest cum sua Synodo doctrinam sacram explanare, errores rescindere, ac medelam parare vulneribus ab hæresi, vel impietate prodeuntibus, etsi decisiones suæ alias Provincias ad sui assensum nullatenus cogant. Sic Ariana Impietas ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, Nestoriana à Cyrillo, Eutichiana à Flaviano primitus in sua Diœcesi confossa est. Cur ergò non potuere Latini occurrere errori de processione Spiritus Sancti à Filio, à nonnullis in controversiam vocata, & particulam addere *Filioque*, etsi alias nationes ad id minimè compellerent?

36. Prob. etiam secunda pars, nempè potuisse à Latinis particulam addi *Filioque*, Græcis minimè consultis. Nam si Romanus Pontifex spectetur, ut Petri successor, & Universalis Ecclesiæ Magister, qualem ipsimet Græci fassi sunt in Florentino, utique ut Fidem explanaret, & dogma de Spiritus Sancti processione à Filio lucidius exponeret, potuit addere particulam *Filioque*, eumdem quidem, sed clariùs sensum reddentem, eo pacto, quo Nicæna Synodus, & Constantinopolitana prima nonnullas particulas Symbolo addidit ad errores adversus Trinitatem insurgentes, omnino præcludendos, nullo indigebat Græcorum, aut aliarum quamcumque Nationum consensu, sicut Petrus ipse, si viveret, velletque particulam *Filioque* Symbolo addere gratia majoris explicationis, minimè indigeret, à quo Fratres juxta Christi oraculum, Lucæ. 22. 32. sunt in Fide confirmandi, recteque notavit Leo Magnus serm. 3. assump. suæ: Petrus enim, qui pascere debet

Gre-

Gregem Universalis Ecclesiæ, non ab ovibus postulare debet quomodò sint pascendę, sed ipsemet ex semetipso discernere cibum noxium ab innoxio: nec oportebat vocare Orientales ad hujusmodi declarationem emittendam; cum Fidei Decreta omnes obstringant, etiam non consentientes, Romanusque Pontifex ex semetipso, ut Petri successor, uti potest fidei Decreta condere, ita quoque Symbolum declarare, & verbis clarioribus exponere.

37. Si verò ut merus Patriarcha Occidentis Romanus Pontifex inspiciatur, minus Græci schismatici querimoniæ fundamentum habent. Sicuti enim nequaquam offendebantur Latini, ex eo quia Patriarchæ Orientales in suis respectivè Diœcesibus novos Ritus, aut symbola ederent à nostro nequaquam quoad substantiam diversa, & explicationes multiplicarent, iisdem minimè vocatis, ita excandescere non debuerunt, à Latinis particulam *Filioque* Symbolo appositam, ut erroribus contra veritatem fidei nascentibus occurrerent, etsi ipsi Græci minimè ad hoc vocarentur, sicuti nec particulam illam compellebantur Symbolo apponerę.

38. Cæterum falsum est, ipsos non fuisse vocatos: nam si loquamur de publica, & solemni appositione particulæ *Filioque* toti Ecclesiæ communi, quæ in Lugdunensi II. Synodo Oecumenica præscripta est, profectò Græci fuere à Gregorio X. vocati: accesserunt sub Michaele Paleologo Imperatore; disputarunt acerrimè cum Latinis; ac tandem unanimi consensu particula *Filioque* Græcè, Latineque est Symbolo apposita. Idipsum accidit in Florentino, in quo usque ad satietatem querimoniæ Græcorum auditæ sunt,

solu-

soluta omnia argumenta, & ex utraque Ecclesia unus Grex Domini effectus est legitimo Pastori Eugenio IV. obsequenter obtemperans.

SECTIO TERTIA

Solvuntur objecta contra primam partem.

39. OBji. I. Concilium Ephesinum primum decrevit, Symbolum Constantinopolitanum manere omnino immotum, itaut nihil ipsi addi, aut minui possit, ut patet ex Decreto Fidei, in quo rigidæ pœnæ Clericis, & Episcopis transgressoribus imponuntur: quod quidem posteriora Concilia, præcipuè Chalcedonense in Decreto Fidei stabilierunt; ergò non licuit Latinis addere Symbolo particulam *Filioque*. Quod verò nullam penitùs particulam, etsi non corruptivam Fidei addi vetuerit Sancta Synodus, patet: nam Decretum Ephesinum aliquid addit, alioquin esset superfluum; ergò aliquid aliud decrevit non addendum præter particulas corruptivas; ergò cum cætera Concilia permitterent addi posse particulas explicativas, Decreto Ephesino hujusmodi particulæ etiam explicationis gratia adjungi omninò interdicuntur.

40. Resp. mirum esse, à Græcis tantopere huic argumento fidere, cum res sit meræ disciplinæ, quæ ab Ecclesia variari potest juxta rerum circumstantias, non dogmatis. Itaque Concilium Ephesinum voluit quidem symbolum esse immotum, & invariabile quoad sensum, ita ut nihil ipsi addi, vel minui potest: & etiam quoad verba, si sint corruptiva veritatis, vel disparata, vel incongrua: & hoc quidem à privatis hominibus non publi-

blico, & Universali Magistratu fungentibus: non tamen vetuit, quin ab Ecclesia ipsa in Synodo Generali congregata, vel à Romano Pontifice, qui Christi vicem gerit, aliqua particula addi possit declarativa veritatis antiquæ, aut alicujus dogmatis, quod Ecclesiæ innotuit: Certè enim Ecclesia moderna eadem est, quæ antiqua à Christo ipso fundata, & ab Apostolis propagata: sicut ergò licuit Synodo Nicænæ addere Symbolo particulam, *Consubstantialem Patri*, quæ non est in Symbolo Apostolorum, & Constantinopolitanæ primæ Synodo alias addere, quæ non sunt in Nicæna, Symbolum melius explicantes, cur non licuit Ecclesiæ addere particulam *Filioque* explicantem processionem Spiritus Sancti à Filio; aut non licebit aliam subnectere, si necessitas eadem urgeret, ut optimè Julianus Cardinalis adversus Marcum Ephesium sect.7. Florentini disputans arguebat? Decretum ergò Ephesini, & Chalcedonensis afficiebat privatas personas, & etiam Episcopos, ne quisquis arbitrio suo sibi, aut aliis symbola fingeret, aut mutaret, non tamen Romanum Pontificem, aut Synodum Generalem; quibus à Christo depositum fidei commissum est, & profectò in Symbolo Constantinopolitano adsunt dictiones aliquæ non omninò necessariæ; ut V. G. *Descendit de Cœlis*: *secundum Scripturas*: *Qui locutus est per Prophetas*, quæ tamen permittuntur, cum non sint veritatis corruptivæ in Symbolo contentæ; ita multò fortiùs substinenda est particula *Filioque* necessaria prò dogmatis expressione processionis Spiritus Sancti à Filio.

41. Obji. II. Synodus Chalcedonensis in suo fidei Decreto deffinivit, Symbolum Con-

ſtantinopolitànum ad pèrfectam fideî notionem ſufficere, & propterea ſervari Decretum Epheſinum oportere, ut nihil ipſi prorſus adderetur. Prob. conſeq. nam ſi addi debuiſſet, vel potuiſſet particula *Filioque* ex Eccleſiæ Decreto, qua explicaretur dogma proceſſionis Spiritus Sancti à Filio, Symbolum non fuiſſet perfectum; ergò Chalcedonenſe excluſit particulam etiam explicativam.

42. Conf. Nam Cyrillus Alexandrinus omnium, quæ in Epheſina Synodo facta ſunt, probe conſcius, utpote ejuſdem Præſes nomine Cœleſtini Papæ, particulam vetitam à Synodo Epheſina intelligebat explicativam, ut patet ex ejuſdem epiſt. ad Joannem Antiochenum, qua ſe excuſat, nullo pacto in Symbolum deliquiſſe, ut ei fuerat attributum, inquit enim: *Nullam, vel nobis, vel mortalibus aliis facultatem concedimus, ut aliquam Symboli dictionem mutare, aut unam ſyllabam præterire valeant, quorum neutrum in Sanctum Symbolum nobis commiſiſſe videmur*; ergò ex mente Cyrilli, Epheſinum loquebatur de additione explicativa, quam prohiberi etiam Paſtoribus, non privatis tantum Perſonis innuunt illa verba: *Nullam vel nobis, vel mortalibus aliis facultatem concedimus.*

43. Reſp. con. ant., & neg. conſeq., ad cujus probationem ne. ant., vel diſt., non fuiſſet perfectum, ideſt non continuiſſet ea claritate, qua poterat fieri, additis aliis particulis: con. ant., non fuiſſet perfectum ideſt non continuiſſet perfectè quidquid erat neceſſarium ad rectam fidem neg. ant., & conſeq. Ad hoc enim, ut eſſet perfectum Symbolum, non erat opus, ut omnia ſimpliciter, & explicitè contineret: ſed quod neceſſaria reipſa

con-

contineret, alioquin neque Symbolum Apostolicum fuisset verè perfectum. Idcircò autem Ecclesia censuit addendam particulam *Filioque*, ut Catholici expresse crederent processionem Spiritus Sancti à Filio, quam Hæretici impugnabant, eo modo, quo Nicæna Synodus voluit addi Symbolo Apostolorum verba: *Consubstantialem Patri*, etsi nemini dubium esset, quod Symbolum illud perfectissimum esset; & Nicæno Symbolo à Constantinopolitana Synodo alia verba addi, quin ullo pacto à quoquam ambigeretur, Symbolum Constantinopolitanum esse in genere suo perfectissimum, cum idem sensus redderetur, verbis tantummodo aliquantisper mutatis, & hoc quidem publica, non privata authoritate.

44. Ad conf. ne. ant. Cyrillus enim voluit quidem nec ullam syllabam, quæ sensum mutaret, detrahi, aut addi Symbolo oportere, non tamen negavit, quin invariato sensu, verba possent addi, aut mutari ab Ecclesia, majoris gratia explicationis: & profectò nemo ex Catholicis vocaret in controversiam, Ecclesiam, quæ novum dogma nunc adversus Hæreticos deffiniret fidei tangens substantiam, particulam non posse in Symbolo addere, qua exprimeretur, & credendum Fidelibus proponeretur. Quod verò D. Cyrillus ita senserit, patet, nam act.3. interrogans Cyrillus Patres, utrum scripta sua novitatem aliquam redolerent? Responderunt nihil à Cyrillo fuisse immutatum, etsi verba esent diversa: act. vero 4. interrogante Cyrillo, utrum Epistolæ Nestorii novi aliquid continerent adversus Fidem? Responderunt Patres affirmativè, ac proindè veluti Nicæno Symbolo adversæ reprobatæ sunt, ex Epist.Synod.

Ephes. ad Cœlestinum. Scrupulosa nimium Symboli observantia animum hæreticum redolet, Ecclesiam antiquam venerantem, aspernantem modernam, cum tamen eadem omnino sit Ecclesia Christi sponsa vetus, & moderna.

45. Contra secundam partem objici posset quod negotium Fidei cum sit commune, omnes respicit; ergò omnes debent vocari, saltem in suo representante: cum autem additio particulæ *Filioque* sit negotium Fidei, Græci quoque debuere vocari.

46. At hoc objectum jam preventum est, si de publica, & authentica appositione sit sermo, Græcos in Lugdunensi Secundo fuisse accersitos: si verò de particulari, & quæ Ecclesiæ Occidentalis disciplinam, non Fidem tangebant, non opus fuisse, ipsos vocari, uti non vocati sunt Latini, quoties Ecclesiis particularibus Orientalium, occurrente non communi, sed particulari necessitate, provisum est. Cæterum Pastor Universalis, qui est Romanus Pontifex, non tenetur oves consulere, atque congregare, ut iis ægrotantibus medeatur: ad ipsum pertinet iis ægrotantibus remedium, quod ipse censuerit, non quod illis visum fuerit, apponere, cum ipsi, non illis lepram à lepra, pascua noxia ab innoxiis distinguere datum sit.



CA-

CAPUT III.

Utrum particula Filioque *debuerit Symbolo apponi?*

47. GRæci in Florentina Synodo contendebant, etiam si Latinis licuisset particulam *Filioque* Symbolo apponere, non idcircò debuisse, ut patet ex Bessarionis non adhuc conversi, Marcique Ephesii in eadem disputationibus. Videndum est nunc, utrum Ecclesia Romana justè circa, hoc à Græcis accusetur ut rea?

SECTIO PRIMA.

48. NOtandum est, Symbolum posse dupliciter spectari I. In statu tranquillo, dum nullus error adversus ipsum grassatur. II. In statu turbulento, dum aut ortus est error eidem oppositus, vel saltem imminet exoriri. Quæstio in præsenti agitur, an in secundo casu deberet particula Symbolo apponi errori opposita; vel potius eo non obstante omitti: Primum sustinent Catholici. Secundum Græci Schismatici.

Dicendum est à Romana Ecclesia Symbolo particulam Filioque *apponi debuisse.*

49. Prob. hac unica ratione ex Calcedonensi in Decreto Fidei desumpta. Quia nimirum, urgente morbo, debent pharmaca, & quidem apta exhiberi: sed ante particulam *Filioque* Symbolo appositam nascens, vel potius nata hæresis erat, nempe Spiritum San-

ctum à Filio non procedere; igitur Ecclesia debuit medicinam exhibere, apposita Symbolo particula *Filioque*. Major patet ex semetipsa, & constat exemplo primi Nicæni Concilii, quod nonnullas particulas Symbolo addidit Apostolico ad præcidendos errores de Filii Divinitate ab Ario excitatos: & Synodi I. Constantinopolitanæ, quæ idipsum præstitit, additis Symbolo nonnullis vocibus, quo blasphemiæ Macedonii, atque Apollinaris, & Eunomii Spiritui Sancto, Mariæque semper Virgini contumeliosæ proscribebantur: min. etiam patet: nam negando Spiritum Sanctum à Filio procedere, negatur mysterium Trinitatis; tunc enim Filius non haberet eamdem vim spirativam cum Patre; igitur Pater non communicaret Filio fœcunditatem suam, adeoque nec essentiam suam eamdem cum virtute spirativa; igitur Filius non esset Deus unus in identitate naturæ cum Patre, adeoque nec Filius, nec Deus; & propterea nec Spiritus Sanctus daretur, qui ex eadem Patris, & Filii unica vi spirativa debet proficisci. Hunc autem errorem, saltem Photio regnante, fuisse exortum; patet ex Baron. ad an. Christi 809. ergò Ecclesia debuit providere, particulam *Filioque* Symbolo Constantinopolitano adjiciens.

SECTIO SECUNDA

Solvuntur Objecta.

50. Objic. I. Ex eo quia urgeret hæresis docens, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, non arguitur necessitas particulæ *Filioque* Symbolo apponendæ: ergò citra fundamentum, & cum fractura Decreti Ephe-

Ephesini apposita est à Latinis: conseq. patet: Prob. ant. nam in Concilio ipso Ephesino, Nestorius convictus est eructare blasphemiam, nempè B. M. V. non esse Dei Genitricem, duas esse in Christo Personas, & Spiritum Sanctum à Filio non procedere; & nihilominus nulla Symbolo facta fuit additio, etsi errores illi capitales viderentur: ergò quamvis error de processione Spiritus Sancti videretur ex Capitalibus, non propterea debuit particula *Filioque* Symbolo apponi, cum aliis remediis errori occurri poterat, ut in sequentibus Conciliis præstitum est, erroribus doctrina, & decisione Ecclesiæ penitus eliminatis.

51. Resp. ne. ant. ad cujus probationem ne. conseq., & disparitas est apertissima: nam erroribus Nestorii sufficienter ex Symbolo ipso provisum erat, in quo declaratur, Christum nedum esse Filium Dei Unigenitum, sed etiam illum eumdem esse verum hominem, passum, & Crucifixum; & B. M. esse Dei Matrem, dum dicitur, Christum ex ea fuisse natum; ac proinde minimè opus erat ulla additione. De processione verò Spiritus Sancti minimè actum est, quia nemo pulverem movebat: Nestorius autem, qui errorem illum evomuit, sufficienter fuit compressus Doctrina Cyrilli Alexandrini, qui eum damnabat, veluti Ortodoxa à Synodo approbata. Concilia subsequentia numquam de Symbolo augendo cogitarunt, quia nulla cogebat necessitas, erroribus, aut alio pacto extinctis, aut non ita exitialibus. Exorto autem errore à Photio suscitato, potuit, & debuit Ecclesia medelam apponere, quod & fecit, addita Symbolo particula *Filioque*, sive in Lugdunensi II., sive alibi, de quo parum refert quid dicatur:

 52. Ob-


52. Obji. II. Leo III., fervente in Gallia de Spiritus Sancti processione à Filio disputatione, à Legatis Caroli Magni rogatus, ut Symbolum cum particula *Filioque* in Capella Palatina cantari permitteret, uti in cæteris Galliæ Ecclesiis fieri consueverat: renuit; ex Baron. ad annum Christi 809. tom. 8. annal. imo fieri jussit duas tabulas argenteas, in quibus Constantinopolitanum Symbolum absque particula *Filioque* Græcè, Latineque scriberetur, atque in Altari collocari: ergò Sedes Apostolica censuit, particulam *Filioque* malè à Latinis fuisse Symbolo appositam.

53. Resp. ne. conseq., illa quippe prohibitio non cadebat super particulam *Filioque*, sed super publicum cantum, & quia appositio illa particulæ à Gallis, quin Sedes Apostolica consuleretur, addita fuerat; & propterea antiquitatem veneratus, laminas illas fieri jussit, in quibus scriptum Symbolum particulam illam minimè continebat: Cæterum Sanctus ille Pontifex eam se sententiam tenere ibidem coram Legatis professus est, neque additionem ullo pacto reprobavit, sed solummodò reprehendit, se inconsulto id fuisse attentatum: quare argumentum nihil facit ad rem.

54. Quæres, quonam tempore particula *Filioque* Symbolo fuerit apposita?

55. Resp. Si de publica, & solemni appositione sermo sit ipsa non contigit, nisi in Lugdunensi II. sub Gregorio X. in quo ter Græcè, ac ter Latinè publico cantu intonuit, Græcorum simul, & Latinorum unanimi consensu; si verò absolutè, res est incerta: nam neque in Synodo Constantinopolitana, neque in Synodo sexta, aut septima ullum apparet vestigium, alioquin quomodo Græci, Latinis additio-

ditionem uti novitiam exprobrassent? Etsi nonnulli in iis Conciliis Dogma hoc stabilitum censuerint. Verisimile tamen videtur à Toletanis Synodis, præcipuè III. sub Recaredo Rege anno Christi 589. originem duxisse, ex Locisæ Concil. Hispan., eorumque notis, atque inde in Galliam, ac Germaniam, Ecclesia Romana approbante, derivasse: Unde Photius deindè criminandi Latinos opportunitatem desumpsit.



TRACTATUS III.

De Verbi Divini Incarnatione.

1. NOn unico errorum genere Orientalis Ecclesia infecta est. Ut eam florentissimam depravaret, inimicus homo radicem invasit, Incarnationem nimirum Filii Dei, per quem salvati, & liberati sumus. Plures idcircò Hæresiarchas excitavit hostis antiquus, ut venerabile hoc Mysterium funditus evelleret. Hos omnes Christi inimicos hic prosternere conabimur, & Divinum illud Mysterium tueri, obstruendo ora loquentium iniqua.

CAPUT PRIMUM

Utrum in Christo unica sit Persona?

2. PErsona, uti à Theologis explicatur, nihil aliud est, quam natura ità substantialiter completa, ut alteri supposito communicari, atque uniri nequaquam possit: personalitas verò est illa ratio, ob quam natura redditur alteri penitus incommunicabilis, atque à Philosophis, & Theologis Hypostasis, ac Subsistentia vocitatur. Inquiritur ergò hic, an in Christo Domino unica sit, vel duplex Persona?

SECTIO PRIMA

Nonnulla prænotantur.

3. ADvertendum est I. Nos hic cum novis Samosatenis minimè dimicare, qui ab inferis Arium revocantes Divinitatem Filio

Dei

Dei audacissimè adimunt; sed cum Nestorianis admittentibus quidem Patris Verbum esse verum Dei Filium, asserentibus tamen, Christum à Christianis adoratum ut Mundi Salvatorem, fuisse purum hominem, non verum Deum, verique Dei Filium, in eoque duplicem esse Personam, hinc in Synodo Ephesina blasphemæ à Nestorio voces erupere, *Eum, qui spatiis menstruis adolevit, Deum non appellavero*: *Ne glorieris Judea, Deum non crucifixisti*; ac proindè Mariam semper Virginem detrectabat Dei Genitricem agnoscere, irrisoriè quippe dicebat: *Quomodo Maria se antiquiorem peperit?*

4. Notandum II. Duas naturas integras, perfectas, & individuas pluribus inter se modis copulari posse. Primo per Hypostasim, quatenus nimirum unicâ tantum Hypostasi utraque natura perfectè subsistit, ità ut natura dependens ab alterius Hypostasi ad sui complementum nullâ aliâ indigeat. II. Per inhabitationem, & præsentiam, quo pacto Deus dicitur nobiscum unitus veluti Numen suo proprio Templo. III. Per assistentiam, & operationem, quatenus unum utitur altero veluti instrumento ad operandum, ut videmus in corporibus ab Angelis assumptis. IV. Per conformitatem voluntatis, quo pacto Anima Jonatæ, & David, & credentium in Primitiva Ecclesia, una dicebatur. V. Per communicationem potestatis, authoritatis, & nominis, ut in Legatis, Proregibus, Vicariisque Principum contingit.

5. Nestorius Patriâ Germaniciensis in Asia, professione Monachus, ingenio vehemens, & audax, suique opinione plenus, veterumque Patrum contemptor, ut eum

Theodoretus describit lib.4. de Hæreticorum fabulis, ad Patriarchatum Constantinopolitanum à Theodosio Juniore Augusto promotus, errorem antiquum Ebionis renovans, ipsomet, quo fuit consecratus, die, nempe Kalendis Aprilis anno Christi 428. Cælestini Pontificis 4., Theodosii autem Junioris Augusti 2., blasphemiam ab Anastasio Presbytero in concione prolatam: nempe: *Mariam Deiparam nemo vocat, homo enim fuit: ab homine autem Deus nasci non potuit*, nedum approbavit, sed etiam magnopere commendavit, eadem Doroteo Episcopo Marcionopolitano buccinante.

6. Hujusmodi errores Nestorius promovere satagens, Pelagianorum Episcoporum, qui ab Ecclesia Romana damnati exulabant, impulsu excitatus, negabat apertè in Christo Domino unicam esse Personam, ac proinde B. M. V. esse veram Dei Genitricem, sed cæteros unitatis modos admittens superiùs recensitos, nolebat obstinatè unitatem subsistentiæ in Christo admittere. Quare, Universo Orbe adversus ipsum conclamante, à Concilio Ephesino I. ob hæresim hanc extirpandam sub Cælestino I. Romano Pontifice, & Theodosio Juniore Augusto collecto damnatus est, cum hæresi sua, atque in exilium expulsus, ap. Baron. ad an. Christi 436. tom.5. de qua Synodo agetur suo loco Tract.6. cap.4.



SE-

SECTIO SECUNDA

Statuitur Conclusio affirmativa.

Dicendum est cum Catholica Christi Ecclesia, in Christo Domino unicam tantum esse Personam, seu hypostasim qua realiter, & substantialiter Natura Divina, & Humana subsistunt per veram, realem, & physicam unionem inter se copulatæ.

7. Evincitur hoc ex Scripturis: nam de Christo qui juxta Nestorium, ejusque Discipulos, erat verus homo, secundum carnem dicitur Joan. 1. 1. *Erat Verbum apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. 12. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*: Et quod potestatem tribuit, *Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*: Ad Hæb. 1. 2. de Deo Patre: *Novissimè locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula, & v. 4. portans omnia verbo virtutis suæ sedet ad dexteram majestatis in excelsis*. Item Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo Filius hominis, qui est in Cœlo*, & Joan. 17. 10. Christus sic ad Patrem loquitur: *mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*: & Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Multa alia hujusmodi loca possent adduci, in quibus multa de Christo enunciantur, quæ ipsi, ut præcisè homo est, competere nequeunt; ergò erat idem suppositum hominis, qui dicebatur Christus,

cum Verbo Divino: alioquin quomodo hujusmodi prædicata eidem competere poterant? Neque recurrere licet cum Nestorianis ad unitatem moralem amoris, instrumenti, donorum: nam supradicta prædicata de Christo dicuntur verè, & realiter, & non per metaphoram; ergò verè, & realiter, & physicè unicum fuit in Christo suppositum, & Persona, ratione cujus opposita de eodem enuntiabantur.

8. II. Christus semper conatus est verbis, & argumentis, & miraculis ostendere, ac probare se non tantum hominem esse, sed verum Deum, Deique veri Filium; ut Joan. 8. 56. cum dixisset Jesus Judæis: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est*, subdit v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum*: Marci 14. 62. Interrogatus Christus à Summo Sacerdote, utrum esset Christus *Filius Dei benedicti*, respondit, *Ego sum, & videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli*. Eadem referuntur Lucæ 22. 69. & 70. In Evangelio integro Joannis, totus est Christus in ostendendo Judæis, se esse verum Deum, ac Dei Filium, idque ipsi concipiebant, & putabant eum blasphemare: hæc autem unitas hominis cum Divino supposito non erat illa, quam Nestorius & Discipuli somniant de inhabitatione, de unione Charitatis, de unctione Spiritus Sancti: hanc enim Judæi non negabant, nec erat apud eos blasphemia facere se ipsum Deum per participationem: hinc Exod. 7. 1. dicitur Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*; sed asserere se ipsum Deum verum; ergò quando Christus asseruit se Filium hominis esse verum

tum Dei Filium, intellexit de vera, & propria, ac rigorosa unione in unitate suppositi, ob quam dici poterat verus Deus; aliæ enim Uniones, quas Nestoriani admittunt, etiam puris, & pluribus hominibus competunt.

9. Si dicatur, hominem, qui dicebatur Christus, cum dixisset se esse Deum, aut fuisse deceptum, aut deceptorem: hoc manifestè infringitur; nam eum non fuisse deceptum, docet Scriptura, dum ait Joan. 19. 7. eum esse *plenum gratiæ, & veritatis*. Et ad Colos. 2. 3. *in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ absconditi*, ac de seipso dicit Christus Joan. 14. 6. *Ego sum via veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me*; ergò non fuit deceptus, cum dixit seipsum Deum: neque vocari debet deceptor; si enim talis fuisset minime Apostolus ad Hæbr. 7. 26. pronunciasset, quod sit, *Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius prò suis delictis hostias offerre*: Quomodò Pater Cœlestis, voce è Cœlis delapsa, eum commendasset Mat. 17. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*? Cum ergò nec Nestoriani faciant Christum impium; sed Sanctissimum, concludendum est, cum ipse summè Deo placuerit; ipsisque doctrinam prodigiis maximis, etiam resurrectione mortuorum comprobaverit; ipse verò asseruerit, se, cum esset Filius hominis, esse quoque verum, & unicum Filium Dei; Concludendum est, inquam, fuisse unicum suppositum Filii hominis, & Filii Dei; etenim si duo essent, de eodem non verificaretur, quod esset

Fi-

Filius hominis, & Filius Dei substantialiter loquendo.

10. III. Incarnatio Filii Dei mysterium ita est ineffabile, ut non solum quibuscumque conjunctionibus, quibus cæteri homines, aut Creaturæ Deo copulantur, aut copulari possunt; sed etiam ab illis, quibus aliæ Divinæ Personæ animas hominum amico sibi fœdere sociare queunt, omnino secernatur: hinc Arcanum hoc ad Colos. 1. 26. *Absconditum à sæculis, & generationibus appellatur*: hinc de ipso S. Leo Magnus serm. 7. de Nativit. *Cum ad intelligendum Sacramentum Nativitatis Christi, qua de Maria Virgine est ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oraculo mundanæ Sapientiæ fumus abscedat*. Modi autem Unionis cum Deo a Nestorio, Discipulisque suis excogitati omnibus Personis Divinis, & pluribus quoque Justis conveniunt: Si enim de inhabitatione loquamur, omnes Justi sunt Dei templum, dicente Christo, Joan. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; Et 1. Cor. 6. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?* Si de nomine Dei, & dignitate participativa sermo sit, & Filiatione adoptiva Psal. 108. 15. *Nolite tangere Christos meos*, & ad Galat. 4. 6. *Quoniam autem estis Filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba (Pater.)* Si de unione voluntatis, clarum est, ex 1. Cor. 6. 17. *Qui adhæret Domino, unus Spiritus est*. Sicut dixerat, v. 16. *Qui adhæret meretrici, unum Corpus efficitur*. Si de operationis unitate sermo sit,

sit, certè D. Paulus hoc pactò Christus, & Deus dicendus esset, qui ad Rom. 15. 18. fatetur: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium verbis, & factis, in virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti*; ergò unio Verbi Divini cum homine, qui dicebatur Filius Mariæ, non consistit in unitate operationis, inhabitationis, voluntatis, & munerum Cœlestium collatione; sed in vera physica conjunctione duplicis naturæ substantialis in uno supposito.

11. IV. At omnem Adversariorum tergiversationem excludit Paulus ad Rom. 8. 32. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed prò nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*; & ad Philip. 2. 7. dicitur de Christo: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Non enim hic dicitur, Filium Mariæ ad Dei dignitatem fuisse assumptum, sed ipsummet Dei Filium missum, & datum fuisse, ut esset homo propter nos, illumque eumdem, qui est Deus Summus, humiliasse semetipsum, & exinanisse usque ad mortem; ergò illa eadem Persona, quæ homo erat, Deus quoque erat in unitate suppositi cum Filio Dei, ergò in Christo Domino unica est Persona, & hypostasis; ii verò, qui secus loquuntur, Jesum solvunt, Ebionis secuti impietatem, de quibus 1. Joannis 4. 3. *Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.*

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Conciliis ostenditur.

12. Nicænum I. celeberrimum illud Concilium à quo Arii impietas profligata est trecentis, decem, & octo Doctissimis, ac Sanctissimis Patribus conflatum, elidit funditus Nestorii blasphemiam; in Symbolo enim ab eo composito, cum de Christo dixisset, esse: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero &c.* Subdit ad rem nostram: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis: Et Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est*; ergò ex Nicæno I. illud idem Verbum, quod est verus Deus, & Patri consubstantialis, factus est homo, natus de Maria Virgine; ergò in unitate Personæ.

13. Hic verò nihil prorsus nugæ Nestorianæ suffragantur de inhabitatione, affectu, operatione: non enim hic dicitur, hominem ex Matre Virgine conceptum, natum, passum, Crucifixum, mortuum, & sepultum, factum fuisse Deum Patrique consortem, sed è contra; ergò ut de eodem Dei Filio prædicata hæc opposita enuncientur, fateri cogimur, eamdem esse Personam, qua ob diversitatem naturarum in ea subsistentium dici possit, Deum esse hominem, mortuum, & sepultum.

14. Ephesinum I. ad Nestorii impietatem retundendam collectum, nedum omnia Hæresiarchæ scripta condemnat; sed in Decreto Fidei veritas hæc ab eo stabilita est, & decisum quoque, B. M. V. non solum Chistiparam, sed Deiparam esse. Recipiuntur, & com-

commendantur Epiſtolæ Cyrilli Alexandrini ad Neſtorium, & Synodi Alexandrinæ, & anathematiſmi ejuſdem, in quibus hæreſes præfati Hæreſiarchæ confodiuntur: ſic enim in I. dicitur: *Si quis non confitetur, Emmanuel ſecundum veritatem eſſe Deum; ideoque Sanctam Virginem eſſe Deiparam, carnaliter enim Verbum ex Deo Patre carnem factum genuit: anathema ſit*. in II. *Si quis non confitetur, carni ſecundum ſubſiſtentiam, quod ex Deo eſt, Verbum, atque unum eſſe Chriſti cum carne ſua eumdem videlicet Deum ſimul, & hominem: anathema ſit*. IV. *Si quis voces illas, quæ in Evangelicis, & Apoſtolicis habentur Literis, ſive de Chriſto à Sanctis, ſive ab ipſo de ſeipſo dictas, duabus Perſonis, vel ſubſiſtentiis aſſignat, & alias tamquam Homini ſeparatim à Dei Patris Verbo intellecto; alias verò tamquam Deo competentes ſoli Dei Patris Verbo adaptat: anathema ſit*. Similia, & clariora in cæteris anathematiſmis apparent, ubi omnes prorſus modi, quibus Myſterium hoc Neſtorius labefactare tentavit, aut alius quivis in poſterum inficere preſumpſerit, radicitus eliduntur.

15. Chalcedonenſe celeberrimum ſexcentis, & triginta Patrum, ac Marciani, & Pulcheriæ Auguſtorum præſentia decoratum. In Decreto Fidei act.16. Epheſinæ quoque primæ Synodi Decreta confirmans, hoſteſque B. Cyrilli Alexandrini reprehendens, ac Leonis Magni ad Flavianum commendans Epiſtolam, cujus doctrinam declarat ſanam, & Catholicam; ſubdit difiniendo: *Itaque Patrum veſtigiis inhærentes, unum atque eumdem profitemur eſſe Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & una voce omnes deprædica-*

mus,

mus, perfectum eumdem in Humanitate &c. non velut in Personas duas dispertitum, aut divisum, sed unum, & eumdem Filium Unigenitum Deum Verbum Dominum nostrum Jesum Christum &c. Ergò ex Chalcedonensi licet duplex in Christo sit natura, unica tamen est physicè Persona.

16. Synodus quinta pariter Oecumenica sub Justiniano I. Augusto celebrata, & Vigilio Romano Pontifice plurimis anathematismis omnes modos unionis, quos Nestorius excogitaverat in Mysterio Incarnationis Verbi Dei cum Homine, proscindit, præcipuè anathematismo V. in quo sic habetur. *Si quis unam subsistentiam Domini N. Jesu Christi sic intelligit, tamquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, & per hoc introducere conatur &c. Sed non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum esse, & propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam Personam, & sic, & Sanctum Chalcedonense Concilium unam subsistentiam Domini N. Jesu Christi confessum esse, talis anathema sit.* Ibi quoque Epistola Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam, scriptaque Theodoreti prò Nestorio, & Theodoro Monpsuesteno contra anathematismos Cyrilli veluti luem Nestorianam fætentia proscripta sunt, ex anathe. 13. & 14.

17. Synodus sexta act.8. recipit magno plausu Agathonis Romani Pontificis Epistolas veluti à Petro Apostolorum Principe conscriptas, & Act. 17. in Decreto Fidei omnes Epistolas Cyrilli ad Nestorium, & quinque Concilia præcedentia adversus Hæreticos coacta pariter recipit, in quibus Nestorii doctrina expresse condemnatur, & approbat veluti Fidei

dei doctrinam; atque in Decreto Fidei cum dixisset: *Dominum Jesum Christum verum Dominum Nostrum &c. unum eumdemque Filium Dei Unigenitum*: subdit; *non in duas Personas partitum vel divisum; sed unum eumdemque Filium Unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum &c.* igitur ex sexta Synodo unica est in Christo Persona.

18. Nicænum II. Oecumenicum prò restituendis Sacris Imaginibus sub Constantino, & Irene collectum in Decreto Fidei receptum, ac recitatum Constantinopolitanum Symbolum, Hæreticosque execratos, subdit: *Confitemur etiam, Dominam Nostram Sanctam Mariam propriè, ac vere Deiparam, ut quæ peperit unum Sanctæ Trinitatis Christum, Deum Nostrum, quemadmodum prior Ephesina Synodus constituit, & impium Nestorium, sociosque illius tamquam Personarum dualitatem inducentem, ab Ecclesia depulit*; Ergò ex Nicæna secunda Synodo unica est in Christo Persona. Cæteras præsertim Occidentales, etsi antiquissimas Synodos omitto; si enim Oecumenicæ, & Orientales Adversarios non convincunt, multò minùs Occidentales afficient.

SECTIO QUARTA

Idipsum ex Patribus ostenditur.

19. Patres Antiquæ Ecclesiæ uno agminè in veritatem hanc conspirant. Omissis autem Occidentalibus, ut Cypriano, Ambrosio, Hilario, Augustino, Hieronymo, aliisque pluribus apud Jodocum Coccium, & cæteros Controversitas videndos, exhibeo tantum

tum Orientales, ut videant Acatholici illi, quantum à Dogmatibus suæmet Ecclesiæ dissideant. Ignatius igitur epist. ad Ephes. *Habemus*, inquit, *Medicum Christum Jesum ante sæcula Unigenitum, & Verbum; postea verò & Hominem factum ex Maria Virgine;* Ubi apparet, eumdem Christum esse Unigenitum Patris, & Filium Mariæ, idest Hominem. Justinus Martyr in Exposit. Fid. de recta Confess. ait: *Filius, cum unus sit, & duæ naturæ altera divina edit miracula, alia humilia respicit. Quâ enim ex parte Deus est, res admirandas operatur; quâ verò ex Virgine est Homo, Crucem, & passionem, & consimilia suapte voluntate naturaliter perfert. Deus esse intelligitur ex prodigiorum operatione. Homo autem ostenditur ex æqualibus naturæ nostræ perpessionibus.* Origenes Lib. 1. de Princip. *Christus Jesus, qui ante omnem Creaturam natus ex Patre est, novissimis temporibus seipsum exinaniens, Homo factus est.* Gregor. Taumat. orat. de singulari Fide, apud Euthimium in Panoblia 2. Tit. 5. de Christo ait: *Est Deus verus, qui, cum esset carnis expers, in carne apparuit; non tamen duas habet Personas, sed duas Naturas.* Athanas. in Symb. *Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ.* Epiphan. in Ancor. *Ipse Salvator Sanctus est: qui de Cælo descendit, qui in officina Virginis salutem nostram operari dignatus est &c.* & post pauca: *Qui perfectum hominem in semetipsum efformavit ex Maria Deipara per Spiritum Sanctum, non ut qui in homine inhabitavit, sed ipsum Verbum caro factum est.* Chrysostom. in eadem sede Nestorii successor Hom. 11. in Marcum: *Nos in Trinitate credimus; non credimus in quaternitate, duas in Chri-*

Christo esse Personas. Si enim Christus duas Personas habet, Pater, & Filius, idest Christus duplex est; ergò quatuor Personæ sunt. Ex quibus Patrum dictis constat, etsi in Christo sint duæ naturæ, Filios, & Personas non dividi, tametsi sit hoc incomprehensibile: Idem Verbum Dei ante sæcula genitum, esse illum eumdem Hominem factum, & pro nobis Crucifixum: Verbum, quod ratione Humanæ naturæ exinanivit semetipsum, esse illud idem, quod est immortale, invisibile, immensum, magna enunciata ad Verbum; parva, & humilia ad Hominem referri oportere; non duos tamen esse Filios, sed unum; alioquin quaternitas Personarum poneretur; ergò ex sensu Patrum non duæ, sed unica tantummodo est in Christo Domino physicè Persona.

SECTIO QUINTA

Idipsum aliqua ratione ostenditur.

20. I. Ille Homo, qui dicebatur, Filius Mariæ, non solum miracula, vires naturæ omninò superantia patrabat, mortuos suscitando, cæcos à nativitate illuminando, morbosque incurabiles in instanti sanando; verum etiam ex imperio proprio, virtuteque sua sanabat, ut sacris Literis docemur, non invocando, & exorando, sed præcipiendo: hoc autem minimè præstare potuisset, quibuscumque donis ornatus, si purus homo, aliaque à Verbo Divino Persona fuisset, ut in Apostolis, Prophetis, Deique servis animadvertimus; ergò in Christo non fuit duplex physicè Persona, sed unica tantum.

21. II. Filius Mariæ, nisi unitus fuisset Ver-

Verbo in unitate suppositi, quibuscumque donis divinitus ornatus, peccare potuisset, orare debuisset prò seipso, ac sacrificium Deo offerre, redemptione saltem præservativa indiguisset: hoc autem repugnat, Apost. ad Hæb. 7. 27. Ubi ostendit, omnia ista Christo repugnare, nec posse, aut debere hostiam prò seipso offerre, sed tantummodo prò aliis; igitur unica in eo fuit Persona, Verbi nimirum Divini, & humanitatis in ea subsistentis.

22. III. Assumptio hominis in Unitatem physicam Divinæ Personæ maximè Deo conveniebat, Homini, Orbique Universo: Deo quidem, cum ejus attributa in Verbi Dei Incarnatione magnoperè eluceant, ut Sapientia, Bonitas, Misericordia, Omnipotentia, ut optime Bernardus serm. 3. in Vig. Nat. Dom. & propterea Habacuc. 3. 23. dicitur: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud: Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis*. Homini quoque; quandoquidem assumptus in Unitatem Divini suppositi compositum efficit admirabile, ima summis, mortalia Divinis copulans, & propterea ex hac unione Homo à malo avertitur, convertitur ad bonum, & Beatitudinis culmen acquirit, ut monet Ambros. lib. 3. de Virgin. Orbi denique Universo congruum erat, qui nimirum opere præstantissimo destitutus fuisset, Deum simul, & Hominem miro fædere complectente: ob cujus unicam excellentiam in sententia plurium Theologorum, ut Scoti 3. dist. 7. quæst. 3., Alensis 3. Part. Quæst. 1. memb. 13. D. Bona. 3. dist. 1. Art. 3., & aliorum apud Mastrium nostrum in 3. senten. disp. 4. Quæst. 1., etiam Adamo non peccante, adhuc Filius Dei carnem assumpt. unus erat in Unitatem suppositi.

23. Tandem, etsi, stante quoque voluntate Mundum redimendi, Divinæ sapientiæ modi alii non deessent, quin carnem passibilem assumeret in Unitatem suppositi, ex August. de Agon. Christi. Cap. 11., & lib. 3. de Trinit. cap. 10. Athan. serm. 3. contra Arian. Redemptio tamen in illo casu non fuisset amplissima, ac Deo benignissimo ita digna, uti illam faciunt Divinæ Scripturæ, præcipuè ad Ephes. 2. 4. *Deus, qui Dives est in Misericordia, propter nimiam Charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, & correfuscitavit, & consedere fecit in Cœlestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu;* Igitur nec omnino perfecta, nec Deo Sapientissimo, simul & Justissimo, atque optimo digna, nisi à Persona verè Divina prodiisset; tunc enim nec Justitia, nec Bonitas, nec Sapientia adeò eluxissent; ergò cum Scripturæ Redemptionem faciant opus Dei omnium excellentissimum, sequitur apertissimè, ab Homine, qui supposito Deus erat, prodiisse, adeoque &c.

SECTIO SEXTA

Solvuntur Objectiones.

24. Opponitur I., si Christus Dominus unica esset Persona Hominis, & Verbi, ipsi ex sua intrinseca ratione deberetur Nomen, quod est super omne nomen: esset constitutus hæres Universorum, & esset Agnus dignus aperire Librum, & septem signacula

ejus ; hoc autem falsum est; ergò &c. Maj. patet ex semetipsa ; ratione enim Verbi Divini, cujus hypostasi subsistit, omnis honor ipsi debetur, & hæreditas, & potestas. Prob. min. nam in Scripturis hæreditas cœlestis, Nominis magnitudo, & potestas aperiendi Librum, ipsi non propter unionem hypostaticam, cum Verbo, sed propter mortem, & passionem adscribitur, ad Philip. 2. 8. 9. 10. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis : Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum* : Ingressus in Regnum Cœlorum adscribitur passioni, & morti : Lucæ enim 24. 26. Discipulis suis euntibus in Emaus, dixit Christus : *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et Apocal. 5. 9. De Agno, quo Christus significatur, dicitur : *Dignus es Domine accipere Librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo* ; ergò ratio tota aquirendi in Christo hæreditatem ; Nomen super omne nomen, & exaltationem super omnes Creaturas, est Passio, & mors, non autem unio cum Verbo in unitate suppositi, ergò est aliud suppositum diversum à Verbo.

25. Resp. con. maj. & ne. min. ad cujus probat. neg. conseq. Illæ enim prerogativæ, de quibus in argumento, etsi Christo deberentur secundum se spectato, & quatenus humanitas in Verbo Divino subsistebat ; alio tamen titulo, nempe quatenus Salvator, & Mundi Redemptor erat, ipsi debentur, ut rectè probat argumentum; non repugnat autem, eam-

dem

dem hæreditatem, & honorem diversis titulis possideri, ut contingeret, si Rex aliquis Filium suum, cui ex successione hæreditas Regni deberetur, vellet eam aquiri, habito quoque cum inimicis conflictu; propterea dicitur loco citato Apoc. *Dignus es Domine aperire Librum, quoniam occisus*, non negat tamen, cum aliunde fuisse dignum, cujus oppositum ab Adversariis probari oporteret; dicitur autem Lucæ 24.26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*: quia cum Christus venisset, non ut purus Glorificator, sed etiam veluti Mundi Salvator, utique in gloriam suam, nempe veluti Salvatoris, nisi præcedente passione acerbissima, venire non poterat. Ex hoc autem non concluditur duo fuisse in Christo supposita, sed unicum in duabus naturis, quibus ob diversas rationes, & titulos Nomen super omne nomen, & cæteræ prærogativæ debebantur superius recensitæ.

26. Obji. II. Inhabitans, & inhabitatum sunt duæ non tantum naturæ, sed etiam hypostases, quod quidem non indiget probatione. Verbum autem inhabitat in Filio Mariæ, ad Colos. 2. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*: & Joan. 2. 19. Corpus suum *templum* appellavit cum dixit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; ergò Verbum inhabitat in Christo velut in templo.

27. Resp. permitto maj., quæ negari posset, cum anima rationalis in corpore inhabitet, à quo tamen personaliter minimè se cernitur: dist. min. inhabitat per modum assumentis con. min. per modum puri inhabitantis ne. min., & conseq. Inhabitatio ergò Ver-

bi in Christi humanitate fit per modum assumptionis; sicut animæ in corpore per modum informationis; adeoque non arguit diversitatem suppositi, sed tantum naturæ: alioquin quomodo diceret Paulus epist. citata, Christum esse *Caput omnis Principatus, & Potestatis, quod donavit nobis omnia delicta; & expolians Principatus, & Potestates, palam triumphans ipsos in semetipso?*

28. Obji. III. Christus sicuti Deo, ita quoque Homini fuit perfectè similis, eo quia ex Hæbr. 2. 17. *Debuit per omnia Fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum*; ergò habuit propriam Personalitatem contradistinctam ab illa Verbi, alioquin non fuisset Hominibus perfectè similis, uti similis est Deo.

29. Resp. ant. esse verum in natura, non verò in Personalitate, à qua non desumitur similitudo, sed à natura. Scriptura ergò, Patres, & Concilia, dum de similitudine Christi respectu hominum sermonem faciunt, nequeunt intelligi de supposito, quod distinguit, non facit similes, sed benè de natura. Idcircò autem Divina natura non potest reddi Personata ab alieno supposito, quia est omnino independens, & infinita; & propterea Divinis Personalitatibus identificatur omninò independentibus: Natura verò quæcumque Creata, tam in genere causæ efficientis, quam suppositi à Deo pendet, à quo poterat assumi. Cæterum etsi Divino Verbo communicata dicitur, adhuc independens, & incommunicabilis est, eo quia nulli alteri sive humano, sive Divino supposito communicari potest, etsi careat proprio.

30. Obji. IV. ex Patribus D. Cyrillus

Ale-

Alexandrinus duas subsistentias asserit unitas in Christo, ex Anathem. 3. adversus Nest. ubi sic habetur: *Si quis in uno Christo dividit hypostases, easque conjunctione inter se nectit, quæ est secundum dignitatem, vel authoritatem, vel potestatem, & non potius, quæ est secundum naturalem unionem, anathema sit.* Similia scribit ad Euoptium contra objecta Theodoreti; igitur juxta Sanctum Doctorem sunt duæ Personæ in Christo, cum idem sit subsistentia, & Personalitas. S. Leo Magnus serm. de Epiph. Cap. 2. *Magi*, inquit, *adoraturi unum, tria se simul credidisse demonstrant: Auro adorantes Personam Regiam, Myrra Humanam, Thure Divinam*; igitur sunt plures Personæ in Christo. Nazianzenus orat. 35. loquens de homine Christo: *Hic Homo Deus effectus, post ea quam cum Deo coaluit, præstantiorique parte superante, unus factus est, ut ipse quoque tantum Deus efficiar, quantum ille Homo*: Sed non possumus fieri Deus in unitatem Personæ; ergò etiam ille Homo, qui dicitur Christus non est factus Deus in Unitatem Personæ, sed affectus, & Dignitatis.

31. Resp. neg. conseq. Cyrillus enim quando dicit locis citatis, in Christo fuisse duplicem subsistentiam, non intellexit subsistentiam prò Personalitate, sed prò substantia, seu natura, itaut vellet, in Christo fuisse duplicem naturam, seu substantiam inter se in Persona Verbi unitas, ut patet ex ipso Anathematismo, ubi Anathema dicitur iis, qui subsistentias asserunt uniri per solam Dignitatem, authoritatem, & potestatem; cum reverà Personalitates rigorosè sumptæ inter se non nisi dignitate, potestate, honore, affectu copulari possint, & Cyrillus optimè explicat

epiſtol. ad Euoptium, & alibi paſſim: more enim Romano loquebatur, utpote Cœleſtini Papæ Vicarius; Romæ autem eo tempore ſubſiſtentia, & hypoſtaſis pro ſubſtantia plerumque ſumebatur, ut patet ex Hieronymo ad Damaſum.

32. Sanctus Leo intelligendus eſt in authoritate citata non plures Perſonas in Chriſto fuiſſe, alioquin Sanctus ille Pontifex ſibi contradixiſſet, unitatem Perſonæ luculentiſſimè in epiſt. ad Flavian., qua PP. Chalcedonenſes veluti regula Fidei uſi ſunt, prædicanti; ſed de variis ſtatibus ejuſdem Perſonæ juxtà illud Carmen Juvenci Presbyteri de Chriſto à Magis adorato: *Thus, aurum, Myrram, Regique, Hominique, Deoque dona ferunt.*

33. Gregorius Nazianzenus tantum vult, nos poſſe fieri Deum per adoptionem, ſicut Deus factus eſt Homo per abjectionem; non verò hominem non poſſe fieri Deum ſicut ille factus eſt Homo: hoc autem ad rem non facit, cum toto illo contextu inculcet Sanctus Doctor Diviniſſimum hoc Myſterium; neque ex vi Syllogiſtica aliud ſequitur, niſi nos poſſe fieri Deum, ſicut Deus factus eſt Homo; quod utique veriſſimum eſt, cum Deus quamcumque aliam naturam humanam præter illam, quam de facto aſſumpſit, aſſumere potuiſſet.

34. Obji. V. Verbum Divinum eſt prius Maria, nec ipſi conſubſtantialis; ergò Verbum Divinum quoad Perſonam non eſt idem cum Filio Mariæ: ant. patet, conſeq. Prob. Filius debet eſſe Matri conſubſtantialis, & ipſâ poſterior; ergò ſi Verbum Divinum non eſt conſubſtantialis Mariæ, nec ipſâ tempore poſterius, non eſt idem cum Filio Mariæ; ergò alia Perſona à Filio Mariæ.

35. Reſp.

35. Resp. neg. conseq. ad cujus probationem dist. ant. debet esse ipsi consubstantialis ea ratione, qua est genitus, & ab ea recipit esse; con. ant. alia ratione ne. ant., & conseq. Utique enim Verbum Divinum est prius Maria quoad Divinitatem; juxta quam non est Mariæ consubstantiale; non tamen quoad Humanitatem, quam ab ipsa assumpsit, per quam ipsi quoque consubstantiale dici potest, quam verissimè peperit in divino supposito subsistentem, ac propterea Christus omni jure Mariæ Filius est, verissimeque Maria peperit verum Deum. Nec propterea duo sunt Filii, tametsi duæ sint nativitates, & Filiationes, una, qua Verbum nascitur ex Patre, alia, qua Filius est Mariæ: non enim multiplicantur concreta ad multitudinem præcisam formarum: nam ex eo quia sint in eodem plures doctrinæ, de eodem minimè dicitur, quod sint plures Doctores, uti optimè advertit Doctor Subtilis 3. dist. 8. Quæst. 1. §. *Ad Argumenta*, *Ad primum*; sed requiritur quoque, maximè in concretis accidentalibus, multiplicatio subjectorum.

36. Obji. VI. Unitate suppositi in Christo admissa, dici posset substantivè, & in recto: *Deus Homo*, *Homo Deus*, *Deus Crucifixus*, *Deus mortuus*, non autem *Homo Deifer*, *Homo Deificus*: Sed hoc videtur falsum; ergò &c. maj. patet ex communicatione idiomatum. Prob. min. quia in Scripturis Christum dici Deum, non tamen Deum mortuum, Crucifixum, & sepultum, scribit Tertullianus lib. adversus Praxeam Cap. 29. & Quintianus Sedis Apostolicæ Legatus Petro Gnaphæo Hæretico Eutychiano duos hos Anathematismos subscribendos proponit: *Si quis con-*

fundit duas Christi naturas dicens : Deum passum carne, Christum passum carne secundum Apostolum, Anathema sit : Si quis Deum Hominem, & non magis Deum, & Hominem dicit, damnetur; ergò &c.

37. Resp. con. maj. & ne. min. ad cujus probationem ne. in Scripturis non dici Deum mortuum; quid enim clariùs asserit Paulus Cum 1. ad Corinth. 2.8. dicat: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent?* Et ad Rom. 9. 5. cum dixisset de Christo, quod sit homo ex Judæis secundum carnem, subdit: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Cæterum etsi non legeretur expressè, minimè tamen negatur dici posse. Tertullianus autem non asserit, hoc esse in se blasphemum; oppositum enim scribit adversus Marcionem de carne Christi Cap. 5. inquit enim: *Nonne verè Crucifixus est Deus, Sceleratissime hominum, qui excusas Interfectores Dei?* Sed voluit tantum, non esse opportunum coram Gentibus Dogma Dei mortui irridendum frequenter inculcare; idque facit etiam Apostolus, ut scandalum Dei mortui Auditoribus tolleret. Quintianus autem Asculanus Episcopus idcircò à Petro Gnaphæo Anathematismum illum, sicut etiam damnationem illius propositionis exegit: *Deus est Homo*, quia ille utpote Eutychis lepra infectus propositiones illas non concretivè, ac ratione suppòsiti intelligebat, sed secundum se, quasi Deitas in carnem conversa, verè passa fuisset, quod est Dogma Eutychianum. Quod ergò Patres aliqui de hac propositione discrepaverint; *Deus est mortuus*, Quæstio minimè de Dogmate fuit, sed an ob Hæreticorum perfidiam deberet omitti, & ob eamdem ratio-

tio-

tionem de his dubium est: *Homo Dominicus*, *Homo Deifer*, & à Nazianzeno, & Basilio damnatæ. At lis de vocibus, minimè autem de Dogmate erat.

38. Obji. VII. Filius Mariæ agnovit diversitatem Personæ suæ à Verbo Patris; ergò fuit alia Persona à Verbo Patris conseq. patet, Prob. ant. nam Mat. 27. 46. Christus Filius Mariæ pendens in Cruce alloquens Deum, ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* *Ly me* significat Personam, seu suppositum Christi; ergò si Christus conqueritur se derelictum à Deo, agnovit se esse aliud suppositum diversum à Deo: certè enim idem suppositum Verbi non potest derelinqui, & non derelinqui, alioquin idem dereliquisset semetipsum, quod absurdum est.

39. Urgetur argumentum: quia ly *Deus*, nulla expressa Persona, supponit pro omnibus; hinc, quando dicitur Gen. 1. 1. *In principio Deus creavit Cœlum, & Terram*, ly *Deus* supponit prò omnibus Personis; ergò si Filius Mariæ derelictus est ab omnibus Personis; etiam à Verbo derelictus est; ergò Filius Mariæ est aliud suppositum diversum à Verbo.

40. Resp. Ad argumentum hoc Nestorianum ne. ant. ad cujus probat. concedo textum illum Scripturæ, & neg. ly *me* significare suppositum diversum à Verbo; & dico, derelictionem non cadere super suppositum quasi suppositum fuerit derelictum, sed super Humanitatem in hypostasi Verbi subsistentem, quæ aliquibus donis destituta est, ob quorum privationem passionis, & mortis tormenta sentiebat, & propterea potest dici Verbum quoque derelictum, sicut dicitur Verbum mortuum, ratione mortuæ humanitatis. Nec est absur-

dum, idem Verbum dici relictum, & non relictum secundum diversa, ac derelinquere semetipsum secundum humanitatem, non secundum Divinitatem.

41. Ad instantiam in idem recidentem: permit. ant., & ne. conseq. non solummodo sequitur hoc, quod Humanitas in Verbo subsistens fuerit derelicta, idest spoliata muneribus aliquibus, quibus ornata passionem, & mortem minus acerbè sensisset; non verò, quod ipsa verè fuerit à Verbo dimissa; alioquin in hoc Nestorius sibi contradiceret, admittendo, Humanitatem fuisse Verbo unitam, quam postea dereliquit, seu dimisit, quod absurdissimum est.

42. Ex his apparet, quam iniquè simul, & stultè negetur à Nestorio, B. V. Mariam esse reipsa Deiparam; cum enim verè hominem genuerit; qui est Deus, & eodem supposito subsistit, quo Deus, verè dicitur genuisse Deum, etsi Divinitatem, & Verbum nequaquam genuerit; eo pacto, quo Homo verè hominem generat, etsi non totum, quod est in homine producat, cum anima rationalis non ex traduce, sed à solo Deo per creationem producatur; & revera hoc pacto eam commendarunt, appellaruntque vetustissimi Patres, ut Ignatius Epist. ad Smyrnens. Dyonis. Alexand. cont. Paulum Samosatenum, Athanas. de salut. Advent. Christi. Chrysost. Homil. 12. super Psal. 118., & alibi, aliique plurimi ap. Frassen nostrum Tom. 2. Tract. 1. Disp. 3. art. 3. sect. 3. Quæst. 3.

43. Nec refert, quod objicit Nestorius, vocem *Deipara* neque in Scripturis, neque in Symbolo inveniri: Quamvis enim vox expressa non legatur, habetur tamen ejusdem significa-

ficatum. Quid enim clarius dici potest, quod dicitur Lucæ 1. 43. ab Elisabeth à B. Virgine invisita: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Et in Symbolo Nicæno, illis verbis: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est?* Quid evidentius? In Symbolo ergò, & in Scripturis abundè satis continetur, B. M. V. esse verè Deiparam, quidquid in oppositum frustra latraverint Nestorius, ejusque Discipuli.

CAPUT II.

An in Christo Domino unica sit, vel duplex Natura?

44. INeffabile Dominicę Incarnationis Mysterium utpote creaturæ aciem superans, innumeros sensit inimicos. Depresso siquidem Nestorio, qui duplicitatem Personæ in Christo asserebat, Eutyches ipsius inimicus oppositam dementiam ab Inferis excitavit, unicam in Christo naturam existere blasphemans. Errorem hunc stultissimum in Authore suo, primùm Flavianus Constantinopolitanus Antistes, demum Synodus Calcedonensis ob hunc eumdem finem à S. Leone Papa collecta radicitus excidit. Hujus tamen hæredes impii Hæresiarchæ supersunt adhuc in Asia, varias in sectas divisi, apud Dominicum à Trinitate lib.4. Bibliot. Theol. sect. 9. cap. 1. qui propterea Synodum Chalcedonensem, ac Sanctum Leonem Papam diris execrantur. Videndum nunc est, an fundamento aliquo errores isti nitantur?

Quædam prænotantur.

45. ADvertendum est, quatuor genera Unitatum posse excogitari. I. Est Unitas Personæ, qua duæ naturæ integræ, atque perfectæ unica tantum Personalitate, seu Hypostasi subsistunt, non quidem respectu utriusque adventitiâ, sed quatenus uni propria, alteri verò extrinseca censetur, stante assumptione, qua Persona independens Naturam alterius, priusquam propria subsistentia emerserit, sibi per unionem hypostaticam copulat. II. Est, si una Natura in alteram convertatur, & incipiat existere in altera, cujus conditionem transmutatione consequitur, ut in omni conversione substantiali animadvertimus. III. Fit per compositionem, ita ut duæ Naturæ inter se perfectæ, & integræ munus partis assumentes tertium quid efficiant ab utraque diversum per resultantiam, aut integritatem. IV. Unitatis genus est, quando naturæ ita mixtione confunduntur, ut in suo esse proprio nequaquam remaneant, sed ex illis unum emergit à partibus diversum.

46. Primum solummodo genus Unitatis negant apertissimè in Christo Hæretici Orientales: cæteros alios admittunt; nescitur tamen in quo præcisè Unitatem Naturæ in Christo collocent. Errorem hunc mordicus Armeni, Cophtæ, Abyssini, Jacobitæ tuentur, Duce Dioscoro Alexandrino à Synodo Chalcedonensi, Sanctoque Leone damnato, quem propterea uti Virum Sanctum summa colunt veneratione. Suos habent Sacerdotes,

Epi-

Episcopos, & Patriarchas, qui eosdem in errore semper vegetes, & firmos tuentur, Deique Ecclesiæ adversos.

SECTIO SECUNDA

Dicendum est cum Catholica Christi Ecclesia, in Christo Domino, tametsi unica sit Persona, duplicem tamen adesse Naturam, integram, perfectam, & omnino impermixtam.

47. OStenditur ex Divinis Scripturis: I. Ex illis locis, ubi de ipso humanitas, & divinitas expresse prædicantur, ut Mat. 16. 17., quo loco Christus Dominus approbavit confessionem Petri de ipso dicentis: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; ipsumque commendavit: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*; ergò Christus seipsum & Deum perfectum asseruit, & Hominem: Deum quidem, cujus Filius asserebatur: Hominem verò perfectum, quia ipsum caro, & sanguis talem esse revelabant. Joan. 9. 35. 36. Christus alloquens cæcum natum ait: *Tu credis in Filium Dei?* & respondenti, quisnam esset, ut crederet: ait Jesus: *& vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est*; hic asseritur à Christo de se ipso, quod sit Dei Filius, & quod sit homo perfectus ex locutione, & visu, nempe ille, quem cæcus, ut Hominem verum antea agnoverat. Ad Rom. 9. 5. cum de Christo dicatur, quod sit homo ex Judæis natus secundum carnem, subditur: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*.

48. Secundò ex illis Scripturis idipsum eruitur, quibus opera Divinitatis, & Huma-

nita-

nitatis exprimuntur: Divinitatis quidem, ut suscitare mortuos, ut ex Lazaro à mortuis excitato liquet Joan. 11. 43. 44., & quidem propria authoritate ex Joan. 5. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic Filius, quos vult vivificat*; Ventis imperare, ac statim obsequium obtinere, Lucæ 8. 25. expellere Dęmones ex Corporibus obsessis, & hoc ex proprio, & absoluto imperio, Mar. 5. 9. qui ipsum Jesum Filium *Dei Altissimi* appellant. Humanitatis verò clarissima præbuit argumenta. Esurivit enim, Mat. 4. 2. Quod siti laboraverit, legitur Joan. 19. 28., quando in Cruce pendens dixit: *Sitio*, & revera acetum sumpsit vase porrectum. Quod laboris, & lassitudinis sensum habuerit, habetur Joan. 4. 6. & revera eumdem, qui se verum Deum asserebat, fuisse quoque verum hominem, ex muliere natum, ipsamet credulitas Judæorum manifestum facit; ipsum quippè blasphemantem censebant, ex Joan. 10. 33. quod cum Homo esset, se ipsum faceret Deum: ipsum admirabantur, ex Lucæ 4. 22. & Joan. 6. 42. Quod cum esset Filius Joseph adeò egregiè literas calleret: spernebant eum, scientes ex Maria Muliere inopi exortum in eadem Urbe Nazareth, Mat. 13. 55., & Marci 6. 3. Assidua quoque cum Judæis, & Apostolis conversatio, qui eum verum Hominem putabant, idipsum apertissimè convincit; ergò ex Scripturis Christus exercuit opera veri Hominis, & veri Dei &c. Quod verò semper Judæos, & Apostolos inani fictitiæ Humanitatis larva Christus tot annorum curriculo deceperit, nimis videtur incredibile, cum semper se Filium Hominis appellaverit, & Scripturæ eum semper Filium Mariæ vocaverunt.

49. Ter-

49. Tertiò eamdem veram Humanitatem, quæ adeò Eutychi displicebat, in Christo, præter veram Divinitatem extitisse, evincunt veri Hominis passiones, quæ nimis apertè in Scripturis apparent: sic Mat. 26. 38. apparet tristitia: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Lacrymæ leguntur, & fletus super Jerusalem, & Lazarum, Lucæ 19. 41. & Joan. 12. 35. Effusio Sanguinei sudoris, Lucæ: 22. 44. Pallor, & agoniæ mæror, atque angustiæ Marci 14. 34. Palpatio vera, & realis carnis, quæ profectò verum reale, ac sensibile corpus evincit: Lucæ 24. 39. cum ostendit Discipulis manus, & pedes palpandos: Manducatio ibidem expressa v. 43., ergò Humanitas vera, & realis fuit in Christo contradistincta à vera Divinitate, quæ in suo proprio esse in ipso fulgebat.

50. Nec dici potest, signa Humanitatis merè apparentia fuisse non realia: nam certè vulnera, plagæ, sanguis effusus non utique phantastica fuerunt, alioquin nihil historicè colligi posset ex Scripturis, sed omnia vel mysticè, vel metaphoricè sumi deberent, quod omnino absurdum est juxta Augustinum lib. 3. de Doct. Christiana cap. 10. ergò cum ista in Christo verè apparuerint, vera quoque fuit Humanitas, in qua apparuerunt.

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Conciliis ostenditur.

51. Nicænum I. in Symbolo nedum ait, Christum esse *Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero, genitum non factum consubstantialem Patri*; sed quasi

quasi Eutychis errorem prævidens subdit; *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, resurrexit tertia die*: esse autem passum, crucifixum, mortuum, atque à mortuis resurgere Divinitati non competunt, sed veræ Humanitati; igitur Christus nedum verus Deus, sed verus Homo à Nicæna Synodo censebatur.

52. Ephesinum I., quem Eutychiani repellere nequaquam possunt, cum Nestorium damnaverit Eutychis inimicum; veritatem hanc clarissimè comprobat: nam Anathemat. 2. dicitur: *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum Hypostasim unitum &c. Eumdem nimirum Deum simul, & Hominem*. Item Anathemat. 6. *Si quis Dei Patris Verbum Christi Deum vel Dominum esse dixerit, neque post Verbum secundum Scripturas incarnatum, unum, eumdemque Deum simul, & Hominem esse confessus fuerit, anathema sit.* Ultimo tandem Anathematismo Eutychiana impietas è visceribus ipsis intimè confoditur: dicitur enim: *Si quis non confitetur Dei Verbum secundum carnem passum, secundum carnem Crucifixum, mortemque secundum carnem gustasse, & Primogenitum tandem ex mortuis factum esse, anathema sit.*

53. Chalcedonense celeberrimum illud Concilium, quod Augustorum Marciani, & Pulcheriæ præsentia decoravit, & sexcentorum ac triginta Patrum munivit authoritas, idipsum in Decreto Fidei sancivit: in qua illustrissima Synodo nullum, ut infra videbimus, defectum invenire poterunt Adversarii, nisi illum, quem omnes Hæretici in Judice damnante semper inveniunt.

54. Synodus V., quam respuere Adver-

sarii

farii nequeunt, utpotè Nestorii inimicam, & aliunde Oecumenicam, & legitimam fatentur, cap.8. errorem hunc clarissimè profligat: *Si quis ex duabus Naturis Deitatis, & Humanitatis confitens unitatem factam esse, vel unam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut Patres docuerunt, quod ex Divina Natura, & Humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus effectus est; sed ex talibus vocibus unam Naturam, sive subsistentiam Deitatis & Carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit.* Et sequentibus Anathematismis, ubi sicut damnatur divisio Christi in duas Personas, ita damnatur confusio Naturarum in unam eamdem cocuntium, & cap.11. cum Nestorio, Appollinari, aliisque Christi Hostibus, Eutyches quoque proscribitur, igitur &c.

55. Sexta Synodus adversus Monothelitas collecta, post cæterorum Conciliorum confirmationem in Decreto Fidei, cum dixisset, Christum *perfectum in Deitate, & perfectum eumdem in Humanitate Deum verè, & Hominem: consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum Humanitatem*; post aliqua subdit: *Eumdemque Christum Filium Dei Unigenitum in duabus naturis inconfusè, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivisè cognoscendum, numquam extincta harum naturarum differentia, propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque Naturæ, & in unam Personam, & in unam subsistentiam concurrente &c.* Ubi apparet unicam quidem Personam, & duplicem naturam, integram, perfectam, & omnino impermixtam in Christo admitti oportere. Idipsum in Decreto, & Confessione Fidei

sub-

subsequentia Concilia asseruerunt: ergò ex Conciliis in Christo, etsi unica sit Persona, duplex tamen adest natura, integra, perfecta, & omnino inconfusibiliter, ut ait Chalcedonense in Decreto Fidei.

SECTIO QUARTA

Idipsum ex Patribus ostenditur.

56. PAtres unanimi consensu idipsum senserunt, & omissis Latinis, ut Tertul. lib. de Cat. Christi cap. 1. Cyprian. epist. 73. Hilar. lib. 10. de Trinit. August. de Fide cont. Manich. c.26. Maxim. Taurin. Hom. 5. de Christi Nat., aliisque quampluribus, Orientales exhibeo, qui Eutychis errorem præcesserunt. Ignatius Martyr epist. ad Smyrn. scribit: *Jesus Christus Dei Filius, Primogenitus omnis Creaturæ, qui Dei Verbum est, & Unicus Filius, secundum carnem de genere David, ex Maria Virgine, baptizatur à Joanne &c. Et sub Pontio Pilato, & Herode Tetrarcha affixus est Cruci prò nobis in vera Carne, ex quo, & nos sumus per Divinam, beatamque Passionem ejus: omnia hæc passus est propter nos, & verè passus, non opinione, sicut, & verè resurrexit.* Justinus Martyr in exposit. Fidei: *Christus Homo ostenditur ex æqualibus, & irreprehensibilibus Naturæ nostræ perpessionibus.* Origenes lib. 1. de Princip. *Christus Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine de Spiritu Sancto est, & quoniam Jesus Christus natus, & passus est in veritate, & non per imaginationem, communi hàc morte, verè mortuus est, verè etiam à mortuis resurrexit, & post resurre-*

re-

rectionem cum Discipulis suis conversatus assumptus est. Basilius Magn. in Liturg. Cyrillus Hierosoly. Cathec. 4. de Generat. Filii. Gregorius Thaumat. Orat. in Epiph. & alii quamplurimi; ergò Patres isti hic adducti: & alii videndi apud Jodocum Coccium, Bellarminum, Thomasinum, cæterosque controversistas, asserunt, duplicem in Christo naturam extitisse inconfusè, impermixtè, & inconfusibiliter, Carnem cum Verbo Divino non phantastice, sed verè, & realiter copulatam, Christum, ut Hominem verè ex Sancta Virgine natum, lacte nutritum, esuriem, sitim, lassitudinem sensisse, mortem, & Crucifixionem expertum esse, à mortuis verè resurrexisse, nec ullo modo in Verbo Humanitatem fuisse mutatam, sed impermixtam permansisse; Concludendum est, Christum uti verum Deum ab Homine distinctum, ita verum Hominem à Verbo natura sejunctum, permanente eadem Persona, revera fuisse.

SECTIO QUINTA

Idipsum ratione evincitur.

57. PRimo si vera Humanitas in Christo non erat à Divinitate contradistincta, sed ex utrisque una emersit, hoc profectò contingit; vel quia Divina versa est in Humanam vel Humana in Divinam Naturam; vel quia ex utraque corrupta per commixtionem tertia facta est, ut contingit in mixtis, aut alio quocumque genere commixtionis, vel per compositionem, quatenus utraque Natura munus partis induens, compositum, quod Christus est, & appellatur, efficit: nullo autem ex his mo-

modis unio naturarum fieri potest; ergò superest, in Christo utramque naturam manere incorruptam, & impermixtam, unica Divina Persona subsistentem.

58. Non quidem primo modo, nempe per conversionem de cujus ratione est, Terminum *à Quo*, aut omnino desinere, si conversio sit totalis, vel quoad unam partem, si sit partialis. Natura verò Divina, nec quoad partem, nec quoad tantum cum æterna sit, & immutabilis, desinere potest. Natura verò Humana in se ipsa remansit integra, & perfecta cum Christus Dominus in Divinis Scripturis se Hominem semper fateretur, veraque Hominis opera exerceret.

59. Neque secundo modo per commixtionem ad quam requiritur, vel quod utraque Natura, ex qua fit mixtio, desinat quoad esse formale, vel saltem aliquid amittat, nimirum partium continuitatem; quorum utrumque Naturæ Divinæ repugnat, partium incapaci, atque omnem incorruptibilitatem excludenti. Natura quoque Humana misceri hoc pacto dici non potest, quæ in Christo mansit integra, perfecta, & incorrupta, ipse enim non minus Homo perfectus in Scripturis appellatur, quam Deus, de quo ad Philip. 2. 7. dicitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*

60. Tertius quoque modus assignabilis ab Eutyche, quo Natura Divina, & Humana unum sint, nempe per compositionem, absurdus est: Nam compositio involvit in componentibus rationem partis, quæ dicit imperfectionem Verbo repugnantem; sive enim pars sit integralis, sive materialis, aut formalis, sem-

per

per dicit in ipsa imperfectionem, cum sit composito ipso imperfectior. Nec assignari potest, quænam pars esset Verbum: Non materia, quia Verbum nihil potest recipere perfectionis: Non forma, quia Verbo repugnat informare, & perficere per modum complementi: Non pars integralis, tunc enim Verbo aliquid deesset, nec una posset de altera in recto enuntiari, sicut de Homine in Christo dicitur: *Homo est Deus, Deus est Homo*; igitur neutra munus partis exercere potest, nec ex utraque fit unum compositum; sed utraque manet integra, & impermixta, ut optimè S. Leo epist. ad Flavian. cap. 3. *In integra veri Hominis, perfectaque Natura, verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris.* Videatur D. Thomas part. 3. quæst. 2. art. 1., ergò neque per conversionem, neque per commixtionem, neque per compositionem ex duabus Naturis in Christo unica tantummodo emersit.

61. II. Admissâ Doctrinâ Eutychis juxta modos superiùs recensitos, Christus non esset mediator; quod quidem perversum Dogma etiam Eutychiani detestantur: probatur autem sequi; nam de ratione mediatoris est, ut gravissimum dissidium inter Hominem, & Deum ob peccata exortum componat, & fœdus cum Homine percutiat; ac propterea de utroque extremo necesse est, esse participem & ab utroque distet, uti scribit Iræneus lib. 3. cap. 26. & Athanas. lib. de Nat. Hum. suscep. si vera autem esset sententia Eutychis, non esset Christus mediator, cum neutra natura Dei, aut Hominis in ipso existeret, sed Homo tantum esset, Divinitate in humanitatem conversa, aut è contra; vel utraque mixtio-

mixtione, aut compositione commutata.

62. III. Christus, admissâ Hæreticorum sententiâ, non esset mundi Redemptor, & Salvator, cum ad hoc natura patiendi capax requiratur, & exequendi opera redemptionis, nempe tristari, dolere, flagellari, ac mori: Divina quoque natura necessaria est, quæ operibus Hominis, ut Deo satisfaciant, infinitam præbeant dignitatem; admissâ autem Eutychis Doctrinâ, fieri non possent: nam aut deesset natura passibilis in Divinam conversa: aut Deitas præbens valorem Humanitati jam conversa in Humanitatem; aut utraque deesset per commixtionem immutata, aut compositionem; ergò ad salvandam in Christo dignitatem Redemptoris, & Salvatoris mundi, uti Christum appellant Divinæ Scripturæ, duplex in eo natura integra, & perfecta debet necessario admitti.

SECTIO SEXTA

Solvuntur Objectiones.

63. OBji. I. Fundamentum Eutychis: Joan. 1. 14. dicitur: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; ergò in Christo natura Divina in Humanam conversa est: conseq. patet; nam unum fieri aliud, nihil est aliud, quam in illud converti, ut habetur Joan. 2. 9. nam ex eo quia ibi dicatur: *Ut autem gustavit Architiclinus aquam Vinum factam*; optimè arguitur, Aquam in Vinum fuisse conversam; ergò si Verbum caro factum est; Verbum conversum fuit in carnem.

64. Conf. nam ex eo quia dicatur ex Scriptura, & Patribus, panem fieri Corpus Christi,

sti, optimè arguitur, panem verè converti in Corpus Christi; ergò similiter &c. Prob. conseq. nam S. Justinus Martyr Apol.2. prò Christianis videtur comparare unionem Verbi cum carne, conversioni panis in Corpus Christi; ergò si panis convertitur in Corpus Christi, etiam Verbum convertitur in Carnem Christi.

65. Resp. con. ant. & neg. conseq., ad cujus probationem dist. ant. quando extrema conversionis capacia sunt, con. ant. quando sunt omnino incapacia; ne. ant. & conseq. Verbum autem est incapax, ut in Humanitatem convertatur, aut caro convertatur in Verbum, quod neque terminus, neque materia esse potest conversionis realis, uti pani non repugnat converti in Corpus Christi, aut aquæ in Vinum in nuptiis Canæ Galileæ, at quamvis non esset hoc impossibile, adhuc tamen malè ex loco illo inferretur, cum Scripturæ testentur, Christum, & Hominem verum, & verum esse Deum; igitur nec Divinitas in carnem, nec caro in Divinitatem conversa est, sed utraque manet impermixta.

66. Ob eamdem rationem neg. conseq. confirmationis; ad authoritatem verò S.Justini dico, eum tantummodo velle, Divinitatem, & Humanitatem in Christo verè contineri, sicut verè sub speciebus Panis, & Vini Caro, & Sanguis Christi: hoc autem facit prò Catholicis, non verò prò Hæreticis.

67. Obji. II. S. Cyrillus adversus Nestorium lib. 1. cap. 3. hanc propositionem videtur admittere: *Divinitas est Homo facta*: S.August. de Consen. Evang. lib. 1. Cap. 35. asserit: *Ipsam Dei Sapientiam in homine assumpto natam, mortuam, resurrexisse*. Sanctus Fulgen. interroganti Ferrando Carthaginensi Diaco-

no,

no, *An sicuti Dei Filius, dicitur natus, passus, mortuus, Crucifixus, ita ejus divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, Crucifixam? Respondit affirmativè*; ergò prædicata Humanitatis de Divinitate in abstracto verificantur; ergò saltem Humanitas in Divinitatem conversa est.

68. Resp. con. ant., & neg. conseq. Patres enim citati nihil aliud volunt, quam Divinitatem subsistentem in Christo esse Hominem, & ratione Humanitatis assumptæ, cui, ratione suppositi Divini, Divinitas quoque ipsa erat copulata, esse mortuam, crucifixam, & sepultam; non verò in se spectatam; & eruitur ex iisdem Patribus, qui alibi passim Christum, & Deum, & Hominem extitisse, firmissimè testantur. Itaque Cyrillus explicandus est, cum dicit: *Divinitas est Homo factus*, idest, *Verbum, quod est Deus, est Homo factum*; alioquin Cyrillus sibi manifestè contradiceret: Nam in epist. ad Nestor. clarissimè affirmat, Christum esse perfectum Deum, & Hominem perfectum, etsi subsistentia utriusque Naturæ unica sit; & propterea, & Hominem factum, & Hominis Filium appellari. S. August. ponendo illam particulam: *in assumpto Homine* tollit difficultatem; dat enim intelligere, passionem, mortem, & resurrectionem cadere super Hominem assumptum, non super nudam Divinitatem horum omnium incapacem, nisi abusivè. S. Fulgent. optimè respondit, posse dici Divinitatem mortuam, & crucifixam, quia supponitur in ipsamet interrogatione, quod: *Sola intelligitur caro mutabilis, & passibilis, secundum quam Deus, aut Divinitas potuit, quod in sua natura non potuit*. Patres ergò, qui rectè in

se

se sentiebant, non ità rigidè interdum loquebantur, quia tunc nullus ex Fidelibus errandi ansam sumebat, & naturam in abstracto accipiebant prò ipsa in concreto, nempe in supposito. Eodem pacto explicandi sunt illi, qui Mysterium Incarnationis per verba mixtionis, temperamenti, transmutationis, transformationis explicabant, ut Tertull. August. Leo Mag. & alii; non quod ita revera sentirent, cum ex eorum operibus oppositum, & pluries evidentissimè appareat; sed quia de Dogmate ex professo tunc non agebant, & modus explicandi rem difficilem, atque sermonis elegantia ita ipsis petere videretur.

69. Obji. III. Fundamentum præcipuum Adversariorum: D. Cyrillus Alexand. lib. 1. de recta Fide ad Reginas, & aliis in locis hanc propositionem admittit: *Christum unicam esse naturam Verbi Dei Incarnatam*. Hanc approbat Magnus Athanas. Efremius Patriarcha Antiochenus, Eulogius Alexand. & alii apud Photium in Bibliot., & quod magis est, Synodus V. cap. 3. ergò in Christo est unica natura, sicuti est unica Persona.

70. Resp. ne. conseq. nam per ly *Incarnatam* datur optimè intelligi, non unicam in Christo esse naturam, sed duplicem, integram, & perfectam, inconvertibiliter, & inconfusibiliter, ut ait Chalcedonense in Decreto Fidei, & optimè Cyrillus ipse ad Successum advertit, aut per ly *Natura* intelligitur Persona Verbi, à quo Humanitas in unitatem suppositi assumpta est, quo sensu eam intelligit S. Efremius Antiochenus Patriarcha in lib. de hac Cyrilli sententia conscripto: quod sanè apud Patres novum non est: Hinc Athanas. epist. ad Julian. asserit: *Vnam esse*

confitendam Verbi naturam, & Hypostasim incarnatam. Quo pacto cæterorum Patrum effata sunt intelligenda, uti ea Quinta Synodus optimè declarat cap. 8. his Verbis: *Si quis unam Naturam Verbi dicens non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quia ex Divina Natura, & Humana unio est secundum subsistentiam facta, sed ex talibus vocibus Naturam unam, sive subsistentiam Divinitatis, & carnis Christi introducere conatur, anathema sit.*

71. Obji. IV. Aliud Eutychianorum fundamentum: una est in Christo Persona; ergò unica est Natura, ant. est certum. Prob. conseq. Non minus est de conceptu Personæ natura, quam Personalitas, cum à Boetio describatur, quod sit: *Intellectualis Naturæ incommunicabilis existentia*; ergò si Persona est una, unica est Natura, cujus ultimum complementum est Personalitas.

72. Resp. con. ant., & ne. conseq. ad cujus probationem dico, Personalitatem esse magis de intrinseca ratione Personæ, quam naturam: quandoquidem Natura non habet à se, sed à Personalitate incommunicabilitatem ultimam, & ultimum complementum, quare, mirum non est duas Naturas unica perfici Personalitate; quandoquidem non ab his naturis ex sua intrinseca ratione sit dependens: quare sicut mirum non est, plura in genere efficientis ab uno pendere, ita non erit mirum, Naturam Humanam pendere a Verbo in ratione suppositi, & plures Naturas unica Divina Personalitate subsistere; sed si difficultatem in hoc percipiendo experimur, captivandus est intellectus in obsequium Fidei, eo pacto, quo arduitate Mysterii non obstante, etiam Eutychis Discipuli optimè credunt, stare posse

in

in Divinis cum unitate Naturæ numericam pluralitatem Personarum.

CAPUT III.

Utrum Unica tantum, vel duplex in Christo admittenda sit Voluntas, & Operatio?

73. Quæstio hæc ex dictis hucusque de duplici in Christo Natura videretur decisa, ut optimè adversus Pyrrhum Constantinopolitanum olim Antistitem Sanctus Maximus Abbas, & Martyr in disput. cum eo apud Africam habita animadvertit, nisi Hæretici nova semper molirentur genera errandi. Monothelitæ quippe Eutychis blasphemiâ non plenè, sed in speciem tantummodo rejectâ, errorem hunc in Ecclesiam induxerunt, eamque seditionibus, ac tumultibus diutissimè lacerarunt, & nunc quoque in Oriente proscindere non desinunt, unicam Voluntatem, atque Operationem in Christo Domino protervè sustinentes. Videndum est in præsenti, an Ecclesia Christi duplicem in Christo Voluntatem, atque operationem admittens à veritate aberret, an potiùs Monothelitæ moderni unicam tantum Voluntatem, & operationem admittentes?



Dicendum est cum Catholica Christi Ecclesia, duplicem in Christo Voluntatem, & operationem existere, uti duplex admittitur integra Natura.

74. OStenditur hoc ex Divinis Scripturis: Nam actus virtutum, quibus Christus nobis meruit vitam æternam, & factus *est exemplum, ut sequamur vestigia ejus*, 1. Petri 2. 21. præcipuè obedientiæ ad Philip. 2. 8. in quo habetur: *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*: non possunt nisi voluntati creatæ competere, cum Deus præcisè sumptus, nec sibi, nec aliis mereri elicitivè possit, sed merentibus tantummodo præmia impertiri: ergò actus illi virtutum à Voluntate Verbi elicitivè minimè proveniunt, sed Humanitatis in eo subsistentis, adeoque &c.

75. II. Habetur intentum ex iis locis, in quibus exprimitur libertas voluntatis humanæ Christi, ejusque operationis, ut Isaiæ 53. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Joan. 10. 17. & 18. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: Nemo tollit à me: sed Ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo iterum sumendi eam*, & Joann. pariter 18. 11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Verbum autem Divinum nec offerre seipsum potest secundum se spectatum, nec bibere Calicem, nec Animam ponere, aut reassumere, nec morti se præbere paratum; ergò omnes isti actus liberi à voluntate humana Christi proveniunt, à

Volun-

Voluntate Verbi contradistincta: adeoque distinguitur à Voluntate Verbi.

76. III. Dogma hoc ex illis locis eruitur in quibus ponitur apertissimè diversitas voluntatis humanæ Christi, & ejusdem operationum à Voluntate Verbi, ut Joan. 6. 38. *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Joan. 5. 30. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*; & Lucæ 22. 42. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Voluntas autem Verbi, qua Verbum est, & Patris, est eadem, sicut eadem Essentia, cap. *Firmiter* de Sum. Trinit. & Fid. Cathol. ergò si Christus non vult fieri voluntatem suam, sed Patris, diversa est Voluntas Christi ut Hominis à Voluntate Patris; ergò etiam à Voluntate Verbi, ergò diversa est Voluntas humana Christi à Voluntate Verbi.

77. Non adduco autem argumenta probantia Voluntatem Verbi, quia hanc Monothelitæ minimè in controversiam vocant; sed solummodo Voluntatem humanam Christi, quam aut omnino negant; aut si admittunt, eam nihil omnino agentem faciunt, nisi veluti purum instrumentum.

SECTIO SECUNDA

Idipsum ex Conciliis ostenditur.

78. ADduci possunt Nicænum I., & Ephesinum I., quæ in Symbolo, & in Decreto Fidei asserunt, Christum esse verum Hominem, ex Corpore, & Anima rationali conflatum, nobisque similem, unica cum

Verbo Divino Personalitate subsistentem, qui prò nobis voluntariè natus, passus, & Crucifixus est; quod sanè, nisi adesset humana voluntas ab illa Verbi contradistincta, qua nobis mereretur, præstare nequaquam potuisset.

79. At assero Chalcedonensem celeberrimam Synodum, quam etiam Antiqui Monothelitæ, ut se Catholicos ostenderent, admittebant. Nam in Decreto Fidei, cum dixisset, Christum esse unum, atque eumdem Filium Dei. *Perfectum eumdem in humanitate, Deum verum, & Hominem verum; ex rationali Anima, & corpore*: deinde subdit: *Consubstantialem Patri secundum Divinitatem, & consubstantialem nobis secundum Humanitatem per omnia nobis æqualem absque peccato*: & post aliqua: *Haudquaquam differentiam unione tollente, sed proprietatem potiùs utriusque Naturæ conservante*: Non esset autem Christus perfectus in Humanitate, nec nobis per omnia æqualis; nec Naturæ per unionem proprietates conservarentur illesæ, nec Animâ rationali sicut nos polleret, nisi humana daretur voluntas cum sua operatione omnino à Divina diversa; igitur &c. Et sicuti, quia dicit Concilium, Jesum Christum esse Patri æqualem, & consubstantialem secundum Divinitatem, optimè colligunt Adversarii dari in Christo voluntatem Divinam Verbi cum sua operatione ab humana omnino diversam: ita, quia asserit, Christum esse Homini consubstantialem, humana in ipso voluntas, & operatio asserenda est, ut contradistinguitur à Divina.

80. Item in eodem Fidei Decreto recipitur à Concilio, uti quoque in Quinta, & sexta

Syno-

Synodo recepta est, epistola S. Leonis Papæ ad Flavian. ut Fidei regulam, quam Monothelitæ quoque recipiebant, ut patet ex Synod. VI. Hæc autem ipsorum errorem condemnat, inquit enim: *Salva igitur proprietate utriusque Naturæ, & in unam coeunte Personam*, deinde subdit: *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est*; cum ergò Voluntas humana, ejusque actiones proprietates sint humanæ Naturæ, sequitur apertissimè juxta Chalcedonense, ac Sanctum Leonem, in Christo fuisse voluntatem, & operationem à Divina omnino diversam.

81. Synodum VI. minimè adduco, quam Monothelitæ diris execrantur, eo quia eorum errores funditus proscidit: immerito tamen rejicitur, cum ab Universali Dei Ecclesia semper, ut legitima, & Oecumenica Synodus omni veneratione fuit recepta, solis Hæreticis ab ea damnatis frustra respuentibus.

82. Synodus VII. Oecumenica adversus Iconomachos celebrata Act. 7. in Fidei confessione idipsum sentit; inquit enim: *Deinde duas voluntates, & Actus secundum Naturarum proprietatem in Christo prædicamus quemadmodum Sexta Synodus Constantinopolitana definit*: Erroris Auctores Sergium, Pyrrhum, & cæteros anathemate percellit, ac damnat Consentientes, & Fautores.



SECTIO TERTIA

Idipsum ex Patribus ostenditur.

83. PAtres errorem Monotheliticum longo tempore præcedentes eum condemnarunt. Athanas. Tract. de Adventu Divini Verbi super illa verba: *Pater si fieri potest, transeat à me Calix iste &c.* ait: *duas hìc voluntates ostendit, unam videlicet Humanam, quæ est carnis propria, alteram Divinam. Nam Humanam propter carnis imbecillitatem mortem deprecatur: Divina verò ipsius est prompta.* Gregor. Nissen. cont. Apollin. super eumdem locum: *Quoniam igitur alia est voluntas Humana, alia Divina, tamquam ex natura Hominis, hoc loquitur, quod Naturæ infirmitati consentaneum est &c.* Chrysos. super illud Joann. 12. *Nunc anima mea turbata est.* Hæc habet: *Christus Humanam Naturam mori nolentem ostendit, se extra humanas passiones non esse aperte declarans.* Idipsum scribit serm. cont. Arian. Cyrillus Alexand., quem Orientalia Concilia in materia Dominicæ Incarnationis tanti fecerunt, lib. 3. de Dogmat. adversus Julianum serm. 12. *Calicis recusatio repugnantem in Christ. Humanam voluntatem indicat; eum autem sponte pati apparet, cum ad Patrem dicit: Non mea voluntas fiat, sed tua.* Similia dicit lib. Thes. serm. 24. sed clarissimè contra Monothelitas serm. 32. ejusdem libri loquitur: *Non est Dei, & Creaturæ una operatio; ne quod creatum est, divinam habeat potentiam; vel quod Divinum, ad infirmas Creaturæ operationes deprimatur.* Multas alias authoritates omitto idipsum sonantes, quæ

vi-

videri possunt apud sextam Synodum Act. 10. ex quibus liquidissimè apparet, aliam esse voluntatem Christi, & operationem, qua Deus est; aliam, qua Homo; adeoque in Christo duæ sunt voluntates, atque operationes.

SECTIO QUARTA.

Adducuntur rationes quædam idipsum probantes.

84. PRimo: quia, nisi in Christo adesset voluntas humana contradistincta à Divina; vel ista caruisset actionibus suis propriis, distinctis ab actionibus Verbi, Christus non esset perfectus Redemptor, quandoquidem non assumpsisset perfectam Hominis Voluntatem; quod enim susceptum non est, minimè curatum est, juxta Nazianzenum epist. ad Chalced. nec opera redemptionis Christus exercere valuisset, quæ in operibus majorum virtutum consistunt, ab actione libera voluntatis creatæ unicè pendentium: hæc autem, etiam juxta Adversarios absurda sunt; ergò &c.

85. II. Christus etiam secundum Monothelitas erat verus Homo nobis consubstantialis; igitur prædictus erat anima rationali cum suis potentiis naturalibus, quarum Princeps voluntas est; ergò cum actione sua naturali operante; alioquin si nihil egisset, fuisset omninò supervacanea, ut optimè S. Maximus Martyr in disputatione cum Pyrrho affirmat.

86. III. Ut optimè ibidem S. Maximus; hæc unica voluntas in Christo, & operatio simplex erat, aut composita: non simplex; alioquin unica fuisset in Christo Natura;

quod ipsi quoque Monothelitæ cum Chalcedonensi damnabant: non composita; quia tunc nec Divina esset, quia cum creata participaret; nec creata; quia communicaret cum Divina, eo pacto, quo Homo, nec simpliciter corpus, nec spiritus dici potest, eo quia corpore, & anima rationali præditus est, ex quibus, ut partibus Homo resultat; quod sanè falsum est, cum Christus sit perfectus Deus, & perfectus Homo.

87. IV. Voluntatem creatam esse in Christo quidem, sed subordinatam Verbo veluti purum instrumentum, quo pacto Monothelitæ loquuntur, aut loqui possunt, nihil ipsos juvat. Nam Scripturæ, & Patres asserunt, voluntatem humanam Christi fuisse sui Dominam, & suas operationes naturales independenter ab illa Verbi exercuisse, cui operationes illæ veluti principali agenti adscribi nequeunt, ut obedientia voluntati Patris, cæterique virtutum actus Homini, non autem Deo competentes; ergò competunt voluntati humanæ Christi, non uti Verbi instrumento, sed secundum se. Si autem meram Monothelitæ subordinationem intelligant Voluntatis Christi ad Verbum veluti ad agens supremum, nihil efficiunt: hujusmodi enim ordo integram, & perfectam Voluntatem supponit; alioquin actio creaturæ, ac Dei concurrentis ut prima Causa, unica esset, quod falsissimum est; igitur in Christo non unica, sed duplex voluntas, & operatio admittenda est, uti duplex intellectus & ejusdem operatio in eodem admittitur.

SE-

SECTIO QUINTA

Solvuntur Argumenta Monothelitarum.

88. OBji. I. S. Leo Papa in epiſt. ſæpè citata ad Flavian. aſſerit, utramque naturam agere cum alterius communione; ergò eſt unica operatio, & voluntas in Chriſto. Prob. conſeq. nam ſi eſſet duplex voluntas, & operatio perfecta in Chriſto, non deberet agere cum alterius communione, ſed unaquæque perfectè in ſuo ordine, eo modo, quo Deus agit independenter à Creaturis.

89. Conf. In Homine Anima ſpiritualis, & corpus ſunt naturæ impermixtæ, & perfectę in ſuo ordine, & tamen non duas, ſed unicam tantum efficiunt indiviſibilem actionem, ut ſunt auditio, viſio, olfactio; ergò idipſum in caſu dicendum eſt.

90. Reſp. neg. conſeq. hujus argumenti, quod erat Cyri Alexandrini Patriarchæ Monothelitæ, ex Act. 13. ſextæ Synodi, & dico, communionem illam, de qua loquitur S. Leo, eſſe communionem ſolummodo ſuppoſiti, ac directionis, non verò naturæ, & voluntatis; adeoque vult tantummodo, naturas non eſſe diviſas, ſed in ſuppoſito unitas; & propterea dici poteſt in Chriſto: *Deus loquitur, Deus ambulat, Deus moritur*, qui tribuit dignitatem actionibus Chriſti Hominis, eamque, ne à rectitudine deflectat, dirigit: non verò unam Naturam indigere altera in operationibus ſuis. Directio autem non tollit Naturæ diſtinctionem, ſed ordinat tantummodo, ut optimè D. Thomas lib. 4. cont. Gen. cap. 36.

91. Ad Conf. neg. conſeq. Anima enim, & cor-

& corpus etsi sint partes impermixtæ, partes tamen sunt essentiales ejusdem Hominis, una per modum potentiæ, altera per modum actus ad idem compositum ordinatæ: Humanitas autem, & Verbum sunt naturæ integræ, & perfectæ, nec ordinatæ ad compositum efficiendum; sed Humanitas tantummodo à Verbo pendet in unitate suppositi, veluti termino dependentiæ.

92. Obji. II. Dionysius Areopagita epist. ad Cajum, Christi operationem appellat Theandricam, idest Dei virilem, inquit enim: *Non secundum Deum Divina faciens, non Humana secundum Hominem, sed Deo homine facto, nova quadam Dei, & Hominis operatione*; ergò unica est in Christo voluntas, & operatio, alioquin Deus Divina, & Homo Humana fuisset operatus.

93. Resp. ad Argumentum hoc, quo semper Monothelitæ utebantur ex Synod. VI. act. 2. & 8. neg. conseq. Theandrica enim operatio stare optimè potest, etsi voluntas, & operatio in Christo duplex sit; vel quia dantur aliquæ operationes, quæ licet sint inter se diversæ, totum tamen complexum ab eodem supposito progrediens, unica dicitur operatio Dei virilis, ut V. G. suscitatio mortui, vel sanatio leprosi, in qua elucet actio Verbi resuscitantis, & sanantis ex propria virtute: Humanitatis autem tangentis, aut verbaliter imperantis, quod sanè Verbum quà tale est, dedecet; vel quia quæcumque actio, ut Hominis, libera, dici potest Theandrica, cum non sit neque puri Hominis, neque puri Dei; etsi alterutra natura non agat; fit enim à supposito in duplici natura subsistente; vel quia unaquæque actio Christi Hominis Divinam

redo-

redolet virtutem influentem, & dirigentem, ob quam ejus voluntas à rectitudine aberrare non poterat; & propterea quæcumque ejusdem actio quantumvis naturalis, ut comestio, ambulatio, locutio, dici merè humana non poterat, etiamsi non minùs Humanitas, quam Verbum secundum propriam formam operarentur. Ex his autem confusio operationum minimè eruitur, sed pura subordinatio, quod solummodo voluit Dionysius, optimè mentem suam lib. 2. de Divin. Nom. declarans Cap. 2. adeoque nihil Catholicæ Veritati derogat Areopagita, sed potius favet.

94. Obji. III. Varias PP. authoritates, quas in sui præsidium erroris Monothelitæ adducebant, ut Cyril. Alexand. *Christus unam cognatam operationem per ambas Naturas ostendit*. Nazianzen. *Velle illius* (supple Christi) *non erat contrarium Deo totum Deificatum*. Nissen. contra Eunom. *Ita divinitatem per Corpus, quod inducit communem omnium revera salutem operari, ut propria carnis perpessio Dei sit operatio*. Athanas. lib. 2. de Advent. Salvat. cont. Apollinar. *Exhibita carne sine carnalibus desideriis, & cogitationibus humanis, siquidem Divinitatis solius voluntas fuit, quoniam & tota Natura Verbi in exhibitione Carnis humanæ visibilis Adami secundi, non in divisione Personæ, sed in extantia Divinitatis, & Humanitatis*. Et aliorum, quos ipsi congerebant Act. 12. sex. Synod. ergò ex Patribus unica est in Christo Voluntas, & operatio.

95. Resp. neg. conseq. istæ enim authoritates nihil Adversariis prosunt. Cyrillus enim operationes Hominis assumpti vocat *cognatas*, quia ab eodem prodeunt supposito, ut pa-

patet ex S. Martino Papâ ità apud Euthym. in Panob. Cyrillum explicante. Nazianzenus optimè dicit, voluntatem Christi Hominis non esse Deo contrariam, & totam Deificatam, quia in Divino supposito subsistit, ejusque directioni subordinatur, ut ipsemet explicat orat. 4. Nissenus vult tantummodo, operationes Humanitatis, actiones Divinitatis appellari, quia, cum caro sit Verbo Dei unita, illa censetur operari, retenta tamen utriusque Naturæ proprietate. Athanasius, qui contra Apollinarem scribebat, Animæ potentias, imò ipsam Animam in Christo denegantem, nihil intendit; nisi voluntatem Humanam Christi passionibus caruisse rationi repugnantibus; atque ex Adæ peccato, quod minimè contraxerat, provenientibus, non verò facultate volitiva, ejusque operatione; inquit enim: *In Christo totam Naturam Verbi, & totam Naturam Hominis visibilem, & passibilem, fuisse exhibitam, non in divisione Personæ, sed in existentia Divinitatis, & Humanitatis.* Quod utique fieri minimè potuisset, si defuisset voluntas, & actio humana, ut à Divina contradistinguitur. Alia objecta ex Patribus videri possunt act. 10. Synodi VI., & ibidem soluta.

96. Obji. IV. Instrumentum non habet actionem distinctam à principali Agente: in Christo autem Verbum est principale agens, Humanitas verò est merum instrumentum Verbi, ex Cyrill. Alexand. Dial. de Incarnat. Part. 5. Athanas. Orat. 4., & aliis Patribus idipsum asserentibus; ergò est unica voluntas, & Actio in Christo.

97. Resp. Majorem esse veram de instrumento purè moto, non autem de instrumento agen-

agente secundum propriam formam, & virtutem, licet agenti principali subordinatum: voluntas autem humana in Christo est instrumentum agens secundum propriam formam, ut optimè Sanctus Leo in epist. ad Flavian. *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est*. Cyrillus autem, & alii Patres loquuntur de instrumento in hoc posteriori sensu, non verò in priori: Quamvis enim Verbum habeat aliquo pacto rationem moventis, & dirigentis, non tamen hujusmodi motio naturales evertit facultates, sed potius perficit. Cæterum, si loquamur de Verbi in Humanitatem specialissimo influxu, quo Christi Hominis actiones eidem Verbo præcipuè adscribebantur; Humanitati verò minùs principaliter, ut operatio miraculorum, & alia similia, nihil officit conclusioni: Nam, etiam quantum ad illa, Humanitas Christi in eo, in quo ipsa operabatur, uti liberrimè agebat, ita proprias habebat actiones contradistinctas à Divinis. Deinde ultra istas, alias quoque habebat actiones, & operationes, in quas Verbum nullum exercebat specialem influxum, quales sunt operationes merè naturales; quocirca, etsi concederetur, Humanitatem Christi in aliquibus merum fuisse instrumentum, nihil omninò prò Adversariis concluderetur, quo pacto Cyrillus, & alii Patres sunt intelligendi.

98. Obji. Ult. Ex eo quod Patres, & Concilia asserant, Naturam Hominis in Christo esse perfectam, minimè arguitur, dari voluntatem distinctam à Voluntate Verbi; ergò unica est voluntas in Christo. Prob. ant. Nam

ex

ex hoc quod Naturâ Hominis sit perfecta, non arguitur habere in Christo propriam subsistentiam distinctam à subsistentia Verbi; ergò similiter &c. patet etiam conseq. nam sicuti voluntas perficit Naturam in ratione potentiæ, ita subsistentia in ratione complementi substantialis; ergò sicuti stat primum, stare potest secundum; subsistentia enim est complementum substantiale, voluntas verò mera potentia, quæ in multorum opinione ab anima realiter distinguitur, ut forma accidentalis.

99. Resp. ne. ant., ad cujus probationem ne. conseq. & conseq. probationis. Ratio autem est, quia Personalitas est quidem Naturæ substantiale complementum; at extrinsecum, & ab ipsa separabile, ut fateri coguntur ipsi Adversarii, unicam Personalitatem in Christo admittentes, etsi duplex sit Natura: voluntas autem est ipsamet Animæ potentia, seù virtus liberè agendi eidem realiter, imò in multorum sententia formalissimè identificata, ab ea tamen etiam Divinitus inseparabilis, utpotè principium *quo* liberè agendi.

100. Quantum verò ad passiones appetitus sensitivi, istæ quidem Christo non deerant, sed absque ulla imperfectione, cum rationi obtemperarent, nec ipsa repugnante, prodirent, aut ad illicita invitum impellerent, ut in nobis contingit, in quibus dominatur lex membrorum, à qua Christus, originali labe minimè pollutus, fuit immunis, ut scitè Leo Magnus epist. ad Julian. Coensem Episcopum. Itaque omnes passiones appetitus sensitivi ad nutum, aut permissivum, aut positivum ejusdem Christi solummodo excitabantur, ut patet Joan. 11. 33. cum Christus ob mortem Lazari, ad quem suscitandum, au-

dita

dita ejusdem sorore plorante! *Infremuit spiritu, & turbavit seipsum.* Quapropter ejusdem affectus à Theologis non *Passiones*, sed *Propassiones* appellantur, eo quia Dominæ mentis imperio subdebantur, cujus oppositum in Theodoro Mopsuesteno à Synodo V. col.4. damnatum est, & optimè Martinus I. in Synod. Rom. Secretar.5. declaravit. Omnia verò Adversariorum latibula Synodus VI. detexit in Decreto Fidei, dum ait: *Duas naturales voluntates non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt Hæretici, sed sequentes ejus humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius & subjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati.* Libellus autem Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Vigilium Papam, in quo unica continetur operatio, in sex. Synod. Act. 3. & 12. commentitius fuit inventus, sicut *una operatio* non invenitur in Anathematismo Vigilii contra Theod. Mopsuest. duobus libris ad Justinianum, & Theodoram August. contento.

CAPUT IV.

An Christus Dominus ante Resurrectionem ad Inferos descendens animas quascumque, etiam Damnatorum eduxerit; aut loco Inferni destructi Aeris regionem substituerit?

101. SUpponit Quæstio hæc verum, & proprium, & non affectu tantummodò Animæ Christi Domini ad Inferos descensum, in quibus Animæ omnes Justorum, & Damnatorum, usque ad tempus illud mansere conclusæ, locumque illum in varia receptacula divi-

divisum, profundiorem prò Reprobis, vulgo Infernum appellatum; alium prò nondum plenè expiatis, quem Purgatorium vocant; alium prò parvulis cum labe originali Defunctis; alium vero prò Sanctis Patribus, purgatis quidem, & mundis, nondum tamen Cœlestis Beatitudinis, pretio redemptionis minimè adhuc soluto, possessoribus. Nunc oritur Quæstio duplex. Prima, utrum Christus ad Inferos descendens omnes inde animas, nedum Electorum, sed etiam Reproborum eripuerit? Secunda, an loca illa destruxerit æternis suppliciis destinata, eorumque loco aeris regionem substituerit? Armeni quippe, saltem ut ipsis adscribitur, utramque ex his sententiam mordicus tenent.

SECTIO PRIMA.

Damnati ab inferis, in quibus jacebant, à Christo Domino descendente, minimè fuerunt erepti. Est inter Catholicos communis.

102. Patet ex Scripturis, reproborum pœnas, facientibus æternas: Nam de ipsis Isaiæ 33. 14. dicitur: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* 66. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et Job. 10. 22. Divina Scriptura vocat Infernum: *Terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Prover. 11. 7. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, & expectatio solicitorum peribit.* Ex novo Testament. habetur Mat. 3. 12. de Christo: *Cujus ventilabrum in manu*

ejus,

ejus, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Mar. 9. 43. *Si Scandalizaverit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi debilem intrare in vitam, quam duas manus habentem ire in gebennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*; quod quidem in Evangelio aliis in locis frequenter repetitur: Idipsum dicitur Apocal. 14. 11. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus.* Similia dicuntur Cap. 19. 20. 10. 21. 8. & 2. ad Tessal. 1. 10. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus*; ergò ex Scripturis pœnæ Reproborum æternæ sunt: quæ quidem extenduntur etiam ad illos, qui ante mortem Christi defuncti sunt, ex epist. Judæ 1. 7. cum enim ante dixisset: *Angelis verò, qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*, subdit, *sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram facta sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Nec ulla apparet ratio, cur præmia æternæ beatitudinis afficiant omnes electos, etiam illos, qui ante Christi adventum in Domino quieverunt: pœnæ autem æternæ Reprobos, qui ante Christum à sæculo exierunt, minimè respiciant. Hujusmodi argumento Augustinus usus est ad revincendam stultam Origenis misericordiam, supplicia Reproborum esse nolentis æterna; igitur &c.

SECTIO SECUNDA

Idipsum ex Patribus ostenditur.

103. Epiphan. lib.1. Hæref. 42. Marcioni Hæresiarche adscribit, quod docuisset: *Christum ad Inferos descendisse, ut salvaret Cain, & Chore, Datan, & Abiron, & Esau, & omnes gentes, quæ non noverunt Deum Judæorum.* Lib. 2. hæres. 6. *Volebat enim Deitas omnia perficere, quæ ad Passionis mysterium pertinent, & cum Anima descendere ad Inferna ad operandam salutem eorum, qui illic prædormierunt, sanctorum, inquam, Patriarcharum;* Origenes Hom.15. in Gen. *Quod enim dicit ad Latronem: Hodie mecum eris in Paradiso, non hoc illi soli dictum est, sed etiam omnibus Sanctis, pro quibus in Inferna descenderat.* Cyrillus Jerosol. Cathec.4. recitatâ Christi sepulturâ, subdit: *Descendit ad Inferos, ut & illinc Justos liberaret,* Aliæ authoritates videri possunt apud Jodocum Coccium in Thesaur. Cathol. Suarez, Bellarmin. & alios.

104. Definitio quoque Ecclesiæ adest, dum in Synod. Tolet. 4. cap. 1. in explicatione Symboli oppositum huic errori stabilitum est, & in Synod.V. Origenis Dogma, Reproborum pœnas temporales, non æternas facientis, fuit proscriptum. Et revera opinionem hanc Patres inter hæreses numerarunt, ex Philast. lib. de Hæref. Cap. de Descensu Christi ad Inferos. Augustin. lib. de Hæresib. Hæresi 76. Greg. Magn. lib.6. Regist. epist.16., igitur ex Patrum, & Ecclesiæ sensu non descendit Christus ad Inferos, ut

inde

inde damnatos erueret, quorum pœnæ sunt sempiternæ.

SECTIO TERTIA

Idipsum rationibus evincitur.

105. PRimò quia post Christi mortem, supplicia Inferorum, & Damnatorum æterna sunt etiam secundum Adversarios; ergò etiam ante Christi adventum; adeoque Christus Reprobos, dum ad Inferos descendit, minimè eripuit: nam post Christi mortem gratia longè donatur copiosior, Ad Rom.5.15. ubi dicitur: *Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & Donum in gratia unius Jesu Christi in plures abundavit.* Et paulò post v.17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum*; ergò si nunc Damnatis nulla superest spes salutis æternæ post Christi adventum, & mortem, multo minùs ante illam extiterat.

106. II. In Scripturis ante Christi adventum Reprobi à Prædestinatis distinguebantur, ut patet Eccles.4. Sap. 4. & alibi passim; hoc autem falsum esset, cum omnes ex ipsis essent hoc pacto Prædestinati, præmio beatitudinis dumtaxat dilato; & sic Damnati in Inferno ab illis, qui probabantur in Purgatorio, minimè fuissent distincti, quod absurdum est.

107. III. Quia juxta D. Thom. Par. 3. Quæst.52. art. 6. Christus Dominus ab Inferis tantum eripuit sibi Fide, Spe, & Charitate

copu-

copulatos; hoc enim pacto virtus suæ Passionis applicatur: Damnati autem ante Christi adventum eidem Fide, Spe, & Charitate minimè copulantur; igitur à damnatione nequaquam fuerunt erepti, & ob eamdem rationem de Pueris disserendum est cum originali defunctis: etsi enim propria careant, tamen originis labe impediuntur, ne Cælum ingrediantur.

108. Ex iisdem principiis falsitas quoque ostenditur secundæ partis asserti; nempe locum Damnatorum fuisse à Christo post Resurrectionem destructum: Nam status Electorum, uti etiam Reproborum, est invariabilis, ut hucusque visum est; ergò etiam Carcer, in quo Reprobi detinentur, aut sunt detinendi per sæcula æterna: hinc Apocal. 20. 10. Draco in stagno ignis ardentis dicitur concludendus, ut in sæcula sæculorum torqueatur: nec videtur probabile, stagnum ignis ardentis destructum iri, ut denuò Reprobis torquendis ædificetur.

SECTIO QUARTA

Solvuntur Objectiones.

109. OBji. I. ex Scripturis: Damnati ad Inferos interdum ad vitam educantur ergò &c. Prob. ant. ex Zachar. 9. 11., ubi fit mentio de Christo; sic: *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua: per lacum*, aquam minimè continentem, intelligitur Infernus, in quo nulla est aqua consolationis. Act. 2. 24. habetur de Christo; *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus Inferni, juxta quod impossi-*

possibile erat teneri illum ab eo. Dolores autem Inferni sunt pœnæ Damnatorum; ergò si Christus solvit dolores Inferni, eripuit etiam Damnatos. Item 1. Petri 3. 19. de Christo dicitur: *In quo, & his, qui in Carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in Diebus Noe, cum fabricaretur Arca*; Quibus verbis innuitur, Christum prædicasse Damnatis, alioquin non cohærerent verba antecedentia quibus dicitur: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, Justus prò injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem Carne, vivificatus autem spiritu*; ergò ideo Christus prædicavit incredulis illis damnatis, ut salvarentur; adeoque &c.

110. Resp. ne. ant. ad probationem ex Scripturis deductam ne. conseq. quantum enim ad primum locum ex Zachar. 9. admisso, quod ibi sit sermo de Christo ad Inferos descendente, quod sanè certò non constat, Vincti Dei, & Interfecti Dei, qui educti sunt, non sunt Reprobi, sed Prædestinati: hinc D. Paulus ad Eph. 3. 1. *se vinctum Christi*, & cap. 4. 1. *vinctum in Domino* appellat. Secundus locus nihil quoque evincit: nam si ly *solutis doloribus Inferni* referamus ad Christum, ut Textus innuere videtur, subdit enim: *Juxta quod impossibile erat teneri ab illo*, tunc facit sensum, quod ideò dicatur solutus, quia Dei providentiâ factum est, ne illos ullo pacto experiretur, ex August. epist. 99. Si verò ly *solutis doloribus Inferni* ad reclusos in eo carcere referatur, tunc intelligi potest vel de Incolis sinus Abrahæ, vel de Animabus in Purgatorio detentis, cum uterque ex his locis Infernus appelletur; hinc Job. 17. 13. dicitur: *Infer-*

fernus Domui mea est. Et Genes. 37. 35. Jacob prò Filio suo Joseph, quem a feris voratum putabat, lacrymans: *descendam*, inquit, *ad Filium meum lugens in Infernum*, cum tamen nec Job, nec Joseph viri sancti censeantur Infernum damnatorum adiisse.

111. Tertius locus ex prima Petri 3. ad rem nihil facit, tum quia juxta August. epist. 97. & alios, ad descensum Christi ad Inferos nequaquam pertinet: tum quia, illa prædicatione admissa, referri debet non ad damnatos, sed ad Justos, idest Animas quasdam, quæ, dum Arca fabricaretur, incredulæ quidem fuerunt, sed resipiscentes; & propterea justificatę, & in carcere redemptionem Israel expectabant, cap. 4. ejusdem epist. ubi dicitur: *Ideo & mortuis prædicatum est Evangelium, ut judicentur, & quidem secundum Hominem in Carne, vivent autem secundum Deum in Spiritu*. Idcircò autem, prædicatio Christi ad incredulos tempore Noe directa est non ad alios: vel quia de illis poterat speciale dubium urgere, cum diluvio fuerint abrepti; vel quia documentum præbebatur, corporis depressionem non esse magnopere timendam, eo quia illis, qui fuerunt increduli aliquando, at pœnitentes, ad eos salvandos, Christus, etsi mortuus corpore, vivus tamen spiritu, prædicavit, non quidem uti damnatis, sed uti vivificatis, spem resurrectionis in vitam æternam exhibendo.

112. Opponunt II. nonnulla dicta Patrum, ut Nazianz. orat. 42. lib. 2. de Paschate. August. epist. 99. Clemen. Alexand. lib. 6. Strom. Nicet. super orat. 42. Nazianz. qui omnes videntur aut dubitare, aut tenere, Christum ad Inferos descendentem damnatos etiam salvasse; ergò &c.

113. Re-

113. Resp. ne. conseq. Patres autem adducti aut in ancipiti loquuntur, ut Nazianz. & August. locis citatis, aut apertè prò nobis faciunt, cum alibi August. nempe de Hæresib. cap. 79. apertissimè decidat asserens, oppositum esse hæresim exploratam. Clemens Alexand. fabulis Marcionis fuit abreptus, de quibus Epiphanius, & Irenæus. Historiam verò Platonis, quam adducit Nicetas orat. 42. commentitiam norunt eruditi: tum quia manifestam continet contradictionem; asserit quippe ex Chrysostomo, à Christo descendente non nisi dignos salute fuisse salvatos.

114. Opponunt III. Christus mortuus est prò Justis, & Injustis; ergò descendens ad Inferos, etiam injustos eripuit, alioquin ipsos mors Christi minimè juvasset, & passio ejusdem æqualis ubique non esset virtutis; cum ergò apud nos juvet, & Justos, & Injustos, Prædestinatos, & Reprobos; idipsum præstitit, etiam Christo ad Inferos descendente.

115. Resp. ne. conseq. ad probationem Conc. mortem Christi reprobos ante ejus Adventum Inferorum Carcere inclusos nihil juvasse, saltem quantum ad ultimatam reprobationem, non defectu ipsius Passionis, sed ipsorummet Reproborum, qui Christo Redemptori per Fidem, Spem, & Charitatem seipsos eidem minimè copularunt. Passio enim Christi iis tantùm profuit, & fuit applicata, qui, dum viverent, Christo venturo adhæserunt, & in hac conjunctione diem extremum clauserunt: Itaque Passio Christi quoad valorem, & meritum eadem est, & semper fuit: at applicatione diversos sortitur effectus etiam post Christi adventum, qua non obstante, multi pereunt, eo quia ejus

meritis malè; vel nullo pacto plerique utuntur, sivè personali defectu in adultis, sivè originali in plerisque parvulis sine Baptismo decedentibus, & pereuntibus.



TRA-

TRACTATUS IV.

De Animabus separatis.

1. QUoniam Animarum separatarum status à nobis, qui sensibus alligamur, secretissimus est, idcircò plures quoque de iisdem errores orti sunt apud Orientalem Ecclesiam. De his hoc Tractatu breviter disseremus.

CAPUT PRIMUM

An possibilis sit intuitiva Dei visio?

2. OMnibus Theologis satis est exploratum quid sit intuitiva visio, prout discernitur ab abstractiva. Illa quippe absque ullo medio fertur in objectum, nedum præsens, sed se potentiæ manifestans, non in aliqua imagine, sed per semetipsum, & propterea intuitiva appellatur, eo quia objectum ita præsens est intellectui, sicut res visibilis oculo corporeo, per se ipsum, non autem in imagine conspectum. Abstractiva autem illa est, quæ fertur in objectum absens, vel si præsens, non tamen per se, & immediatè, sed mediate, ac per imaginem, nec potentiam immediatè immutando. Quoniam igitur Deus Opt. Max. ens est supremum, & summè intelligibile, orta est difficultas, an à potentia intellectiva creata possit intuitivè videri? De abstractiva enim visione nulla est difficultas.

SECTIO PRIMA

Nonnulla prænotantur prò intellectu Quæstionis.

3. ADvertendum I. Potentiam intellectivam dupliciter posse spectari. I. In esse pure naturali, itaut nullum dicat ordinem ad vires superioris agentis, sed præcisè secundum se. II. In statu elevationis, quo vires naturæ, infirmæ, & imbecilles actum aliquem ex semetipsis elicere nequeuntes, nisi aliquo supernaturali adjutorio erigantur, quo potentia illa, aliunde incapax, munita hujusmodi effectus propriam naturalem virtutem transcendentes producit. Hujusmodi potentia per vires supernaturales adjuta Obedientialis à Theologis appellatur; & nihil aliud est, quam aptitudo quædam, & capacitas, qua Natura supremo Dei subjecta imperio elevatur ad operationes aliquas vim suam naturalem excedentes. Hic non est quæstio, an intellectus creatus ex viribus purè naturalibus assurgere queat ad Deum intuitivè videndum? Execramur quippe Messalianorum, atque Anomæorum insaniam, in hæresibus Beguardi à Concilio Viennensi damnatam cap. *Ad Nostram* de Hæret., sed utrum intellectus creatus lumine gloriæ adjutus, & elevatus Deum intuitive videre possit?

4. Notandum II. Visionem intuitivam, & comprehensivam magnoperè differre. Visio enim intuitiva solummodo dicit hoc, ut omnia, quæ in objecto sunt Essentialia, sive proprietates, & attributa, quæ in eo relucent, distinctè, & immediatè inspiciantur.

Com-

Comprehensiva ultra hoc exigit, ut omnes gradus intelligibilitatis in objecto relucentes, etiam intensivi penetrentur, itaut tanta sit in intellectu percipiente vis intelligendi, quanta est intelligibilitas in objecto, ut rectè advertit Subtilis Doct. 3. dist. 14. quæst. 2.

5. Armeni, & Jacobitæ apud Dominicum à Trinitate lib. 4. sec. 10. cap. 1. existimant, Beatos in Patria regnantes non videre Deum ipsum, ut est in se intuitivè: hoc enim putant impossibile, sed inspicere tantummodo quemdam fulgorem ex Dei vultu manantem, eo pacto, quo Apostoli radios ex Christi facie erumpentes in Monte Tabor perspiciebant. Sententiam hanc ex Hesychiastis Hæreticis videntur Armeni hausisse, de quibus Demetrius Cidonius lib. contra Palamam, qui in Monte Sancto Monasticam vitam professus, deindè Thessalonicensis Episcopus creatus, plurium hæresum, ac Orientalis Schismatis Promotor acerrimus, errorem hunc provexit, adversus quem Barloamus Monachus Catholicam inde Religionem amplexus ex Nicephoro lib. 11. suæ Hist. invictè dimicavit; indeque Jeracensis creatus Episcopus, ex ejus epist. ad Græcos, qua eos ad Romanam Religionem ducere contendit.

SECTIO SECUNDA

Deus intuitivè, ac facie ad faciem à creato intellectu nedum videri potest, sed de facto à Beatis inspicitur.

6. Patet ex Scripturis: Nam Exodi 32. 20. Cum postularet Moyses videre faciem Dei intuitivè, responsum habuit; *Non*

poteris videre faciem meam, non enim videbit me Homo, & vivet; ergò post mortem Deus intuitivè videtur, alioquin non rectè assignasset Deus mortem prò illa obtinenda: vel si fuisset impossibilis, vel merè corporalis. Rursus Psal. 35. 10. dicitur: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: in visione autem luminis non potest intelligi nisi visio intuitiva Dei: fit enim distinctio luminis, quod videtur, & luminis, in quo videtur: sed lumen, quod videtur in lumine, Dei, est ipse Deus, alia enim ab ipso Deo non sunt lumen ipsum, sed potius lumine illuminata; ergò videtur ipsummet lumen immediatè, nempe Deus, & propterea dicitur ibi. *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Psal. 41. 2. David à Deo intuituivam Dei visionem postulabat, cum diceret: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem Domini*: nam petebat attingere ipsummet fontem, non rivos erumpentes, & patet ex similitudine, quam adducit cervi sitientis, qui appetit fonte ipso frui aquarum, non rivis erumpentibus; ergò quemadmodum David cupiebat ipsummet Deum videre immediatè, ita supponebat hoc esse possibile, alioquin minimè rogasset admitti ad ipsummet fontem aquarum.

7. Ex novo Testamento clariùs adhuc evincitur: nam Mat. 5. 8. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, & ex cap. 18. 10. ejusdem habetur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est*. Joan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Loca enim hæc explicari minimè

nimè possunt de visione per fulgorem à facie Dei prodeuntem: tum quia violenter ità Scripturæ illæ intelligerentur: tum quia tollitur omne effugium: Nam 1. ad Cor. 13. 12. cum dixisset Fidem, & Spem excidere, numquam verò Charitatem, quod sanè falsum esset, si visio intuitiva foret impossibilis, subdit clarissimè: *videmus nunc per speculum in Enigmate, tunc autem facie ad faciem*; ergò non per fulgorem interpositum, aut in imagine, sed immediatè secundum se, & intuitivè; cum visio intuitiva opponatur enigmati, & visioni secundum Fidem; propterea dicitur 1. Joan. 3. 2. *Charissimi nunc Filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*; igitur si nos videbimus Deum sicuti est, & erimus propterea ipsi similes, qui videt seipsum intuitivè, utique videbimus Deum intuitivè; adeoque visio intuitiva Dei nedum possibilis, sed futura admittenda est.

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Ecclesiæ Decretis, & Patrum authoritate ostenditur.

8. AUthoritas Ecclesiæ irrefragabilis nequaquam deest. Concilium quippe Florentinum Oecumenicum, cui per Legatos Armeni subscripserunt, illudque quoad omnia volenti animo receperunt, ipsamet Concilii narratione testante, in literis Unionis ita se habet: *Diffinimus, illorum animas, qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ*

 post

post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exutæ corporibus, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum, & Unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectiùs: Idipsum Evaristus secundi sæculi Pontifex in 1. sua Decret. ex in 1. Joan. 3. colligit, & Benedictus XII. in Extravag. *Benedictus Deus*, quorum authoritatem respuere non possunt Armeni, quam in eodem Synod. Florent. fassi sunt.

9. Idipsum vetustissimi, & Sanctissimi Patres agnovere, ut Iren. lib. 5. cap. 7. *Facies nostra videbit faciem Dei vivi, & gaudebit gaudio inenarrabili, videlicet cum suum videat gaudium*: & lib.4. cap.37. cum dixisset, participationem Dei esse videre Deum; subdit: *Homines igitur videbunt Deum, & vivent, per visionem immortales facti*: Basilius Mag. orat.20. de Princip. & Poten. *Facie ad faciem, & perfecta cognitio incomprehensibilis majestatis Dei in futuro sæculo exhibenda promissa est*: Cum autem dixisset, ænigmaticam, & per speculum haberi nunc visionem; ait: *perfectam autem cognitionem in futurum, magno cum gaudio expectat*. Greg. Nissen. orat. funeb. in Magn. Melet. *Non ampliùs signo, & umbra Cœlestium servit, sed in ipsam rerum imaginem intuetur: non ampliùs per speculum, atque per transennam, & enigma, sed ipsa facie cum facie collata intercedit apud Deum.* Chrysost. serm.3. in epist. ad Philip. ait nos visuros Deum: *Non quasi quodam interjecto vestibulo, non per Fidem, sed facie ad faciem*. Et Hom.10. in epist.2. ad Corinth., & epist. ad Theodor. lapsum: *Quid dicemus, quando rerum veritas aderit? Quando Regiis cubiculis*

lis adapertis contueri licebit ipsum Regem, non per enigma, nec per speculum, sed facie ad faciem? Alii Patres videri possunt apud Dominicum à Trinitate Bibliot. Theol. lib. 4. sec. 10. cap. 1.

SECTIO QUARTA

Idipsum ratione aliqua ostenditur.

10. DIvus Thomas Part. 1. Quęst. 12. art. 1. hanc adducit: possibilis est vera beatitudo; hinc Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 8. *Beati omnes esse volunt, ut veritas clamat*: & propterea omnes pro Beatitudine obtinenda laborant, etsi plerique in electione fallantur; nec sanè desiderium illud ardens Beatitudinis, quo omnes flagrant, debet esse de re impossibili, cum Deus, & Natura nihil frustra efficiant: ergò etiam visio beatifica intuitiva Dei; nam Beatitudo consistit in perfecta possessione veri, & summi Boni, quod per visionem Beatificam obtinetur; ergò si possibilis est vera Beatitudo, possibilis quoque est visio Dei Beatifica, & intuitiva, per quam perfectè summum Bonum possidetur; hinc Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

11. Alia potest adduci ex Doct. Subtil. 4. Dist. 49. Quæst. 8. Deus continetur sub objecto adequato intellectus creati ex natura potentię, ut est supremum, & nobilissimum ens intelligibile; ergò videri potest intuitivè; nam quidquid continetur sub objecto adequato alicujus potentiæ potest ab illa sub propria, & immediata ratione attingi; adeoque Deus

 quo-

quoque ab intellectu creato immediatè videri, & intelligi intuitivè, alioquin potentiæ superioris, & eminentioris ordinis denegaretur, quod inferioribus potentiis conceditur, objecta sua sensibilia sub propria ratione immediatè attingentibus, quod videtur absurdum; ergò intellectui creato concedenda est possibilitas videndi Deum intuitivè, non quidem propriis viribus, sed auxilio supernaturali, ut optimè Sanctus Epiphanius Hæres. 70. docet.

SECTIO QUINTA

Solvuntur Objectiones.

12. OBji. I. Ex Sacris Scripturis 1. ad Timoth. 6. 16. De Deo dicitur: *Lucem habitat inaccessibilem: quem nullus Hominum vidit, sed nec videre potest*; ergò Deus absolutè loquendo, stante quacumque elevatione, est intuitivè invisibilis. Prob. conseq. Quia enim dicitur Jerem. 32. 19. de Deo: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*, arguunt Patres, & Theologi, Deum esse ita incomprehensibilem, ut neque Divino auxilio fieri possit, ut comprehendatur; ergò etiam quia Deus in Sacris literis dicitur invisibilis, hoc debet intelligi, stante quacumque elevatione.

13. Resp. ne. conseq. argumenti, & probationis; disparitas autem latissima est: nam stare potest, Deum esse, & dici invisibilem, etiam si elevetur intellectus Divina virtute ad ipsum intuendum: non autem stare potest, Deum esse incomprehensibilem, & nihilominus comprehendi: Ad hoc enim ut dicatur

invi-

invisibilis, sufficit, quod ex facultate purè naturali, & in via minimè possit attingi: ad hoc autem, ut dicatur incomprehensibilis, unica tantum datur ratio, nempe inadæquatio facultatis intellectivæ creatæ ad ejusdem Dei infinitam intelligibilitatem; hic autem defectus in potentia finita per lumen gloriæ nequaquam suppleri potest, & propterea ex prioribus locis non licet arguere omnimodam invisibilitatem, benè verò ex posterioribus incomprehensibilitatem.

14. Obji. II. Ex eo quia dicatur in Scripturis, Deum à nobis videndum facie ad faciem, non arguitur visio Dei intuitiva: conseq. patet; Prob. ant., ex eo quia dicatur Exodi 33.13. *Si ergò inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*, non arguitur, Deum in hac vita mortali videri intuitivè: neque post mortem arguitur hoc: nam licet Matth. 18. 10. dicatur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est*: Attamen 1. Petri 1. 12. habetur: *Spiritu Sancto misso de Cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere*: Desiderium autem non fertur in rem præsentem, quam possidemus, sed in absentem; ergò ex illis locis, quibus adeò fidimus, nihil evincitur.

15. Resp. neg. ant., ad cujus probat. neg. conseq. Disparitas autem patet in ipsomet textu: nam visio Moysis adhuc viventis non intellectualis, & intuitiva, sed corporalis, & abstractiva tantummodo esse poterat; eo quia esset in via: beatifica autem visio non datur, nisi post mortem, Deo ipso testante: *Non videbit me Homo, & vivet*, & propterea dixit ipsi: *Faciem meam videre non poteris*, idest in hac vita mortali: Scripturæ autem ad-

adductæ à nobis visionem quidem evincunt beatificam, sed post mortem tantummodo; & idcircò absolutè possibilem.

16. Neque officit, quod in oppositum adducitur ex Matth. 18. de Angelis Deum videre cupientibus, tum quia hoc probat oppositum: si enim Angeli Deum videre cupiunt; ergò visio Dei non est impossibilis, cum nemo cupiat id, quod novit esse impossibile: tum quia textus adductus varias habet interpretationes apud Lorinum videndas in comment. 1. Petri 1., quibus tollitur omnis difficultas; at melior omnibus est illa, quam adducit ex Greg. Magno quæst. 18. morali cap. 28., & addi quoque posset Hom. 26. in Evang., quod nimirum ideo Angeli in Deum semper desiderant prospicere, vel quia, cum Deus sit infinitus, etsi semper à Beatis videatur, semper aliquid remanet videndum, & intensivè ex parte infinitæ perfectionis gradualis, & extensivè, quantum ad objecta secundaria creata: vel quia, cum deliciæ Deum videntium sint ineffabiles, ex eo quia semper cadant sub gustu intellectuali, numquam tamen illum satiant, sed semper sui desiderium relinquunt, juxta illud Eccles. 24. 29. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.*

17. Obji. III. ex Patribus, Chrysost. orat. 3. contra Anomæos habet: *Quem* (nempe Deum) *nec investigare possunt Angeli, nec scrutari Archangeli, nec videre Seraphim, nec Cherubim percipere, nec videre Principatus, & Potestates, & Virtutes; uno verbo, quem nulla Creatura intueri potest, sed quem solus Filius, & Spiritus Sanctus cognoscunt.* Similia docet Theodoret. Homil. 14. in Joannem

in

in Dial. *Immutabilis*, & in idipsum conspirare videntur Basil. cont. Eunom. Cyril. Alexand. lib. 1. in Joan. cap. 22. Nissen. lib. de Beatit. & alii, quos cumulat Vasquez Disp. 37. quæst. 12. cap. 5.

18. Resp. Patres omnes non posse sibi adversari, quos superiùs vidimus nobis apertissimè favere: quo circa citati in objectione de visione comprehensiva intelligendi sunt, non purè intuitiva: Cum enim adversus Anomæos scriberent, qui naturaliter nedum videri posse Deum stultè asserebant, sed etiam comprehendi, nomine visionis comprehensionem intelligunt; ut enim optimè D. Thomas hanc tractans difficultatem Part. 1. Quæst. 12. artic. 1. advertit, visio intellectivà corporali assimilatur, in qua oculi corporei objectum aliquod corporeum videntes, dicuntur illud perfectè comprehendere. Quoniam verò Deus nequit comprehendi, propterea dicunt Patres Græci, Deum neque videri posse ad redarguendam Anomæorum insaniam.

19. Obji. IV. Deus infinitè distat à creaturis nedum in entitate, sed etiam in intelligibilitate, & plus distat à Creaturis, quam oculus corporeus à quocumque objecto incorporeo; & tamen neque divinitùs potest elevari ad Deum videndum intuitivè; ergò impossibilis est visio intuitiva.

20. Resp. neg. conseq. quamvis enim Deus infinitè distet à Creaturis etiam in intelligibilitate: attamen non extrahitur à linea objecti intelligibilis, adeòque, tametsi naturali virtute non possit intuitivè intelligi, potest tamen lumine supernaturali, cum intellectus adjutus tendat in objectum nobilissimum, quod sub objecto suo adæquato, nem-

pe

pe intelligibili in genere continetur: oculus autem corporeus, cum sit potentia purè materialis, idcircò neque divinitus ad visionem Dei assurgere potest, quia intelligibile, qualis Deus est, extra sphæram versatur suæ activitatis, uti ob eamdem rationem ad gustandos sapores, vel odores olfaciendos, etsi materiales sint, elevari nequaquam potest. Itaque distantia illa entitativa est, non intentionalis, alioquin Deus neque abstractivè in via à nobis esset perceptibilis, quod falsissimum est.

21. Obji. V. Si Creatura posset Deum intuitivè videre, visio, & potentia videns essent infinitæ: hoc falsum est; ergò &c. Prob. maj. quia ex parte visionis, visio exprimens quæcumque objecta finita, est finita; ergò exprimens objectum infinitum, infinita est: ex parte verò potentiæ idipsum patet: nam virtus potens ferri in objectum infinitum, excedit potentiam potentem videre quodcumque finitum: sed virtus intellectiva se extendens ad quodcumque finitum, est finita; ergò illa alia est infinita.

22. Resp. Ad argumentum hoc Armenorum, nimis eo probari, convinceret enim esse quoque impossibilem visionem abstractivam, quam tamen ipsi concedunt, & concedere compelluntur: itaque dist. ant. objectivè: con. ant. entitativè, neg. ant., & conseq. ad probationem eodem pacto respondendum est: nam finitas, & infinitas visionis intellectivæ non ab objecto, in quod tendit, quod omnino extrinsecum est, mensuram sumunt, sed à potentia eliciente, quæ, quoniam finita est, non potest elicere actum infinitum, etsi objectum sit infinitum. Itaque potentia Deum videns excedit quidem in per-

fe-

fectione illam, quæ objecta solummodo creata intuetur: at extrinsecè, non intrinsecè; cum semper maneat in linea potentiæ finitæ; eo magis quia ex se intellectus creatus ad sola objecta creata minimè restringitur; sed extenditur etiam ad videndum summum intelligibile, dummodo auxilio supernaturali elevetur, ut, non obstante ipsius summa excellentia, in ipsum tendere possit.

23. Obji. Ult. aliud fundamentum, quo Armeni maximè nituntur. Deus est incomprehensibilis absolutè loquendo, etiam stante quacumque elevatione; ergò etiam, non obstante quacumque elevatione, invisibilis est: ant. est certissimum etiam apud Catholicos ipsos: Prob. conseq. quia impossibile est videre rem aliquam, & quidem simplicissimam, qualis est Deus, & ipsam non videre perfectè, & ut est in se, itaut videntem nihil lateat: tunc autem comprehenditur, cum comprehensio nihil aliud sit, quam perfecta rei inspectio, itaut videntem nihil, quod est in objecto, lateat, juxta August. epist. 122. cap. 8. ergò si Deus intuitivè videtur, utique comprehenditur: hoc est impossibile; ergò &c.

24. Resp. neg. conseq. ad cujus probat. dist. maj. *Si perfectè, & ut est in se* cadat super omnia prædicata realia, con. maj. si cadat super gradum omnem cognoscibilitatis in objecto relucentis, ne. maj. & eodem modo dist. min. & neg. conseq. comprehensio enim non solum dicit omnium eorum, quæ realiter, & formaliter in objecto viso reperiuntur, cognitionem, verum etiam omnium graduum perfectionis objectum afficientis: ad cognitionem autem intuitivam non opus est attingere quidquid perfectionis intensivè reperitur

in

in objecto, sed sufficit omne id perfectè intelligi, quod in eodem quoad omnia sua prædicata essentialia quidditativa, realia, atque attributalia invenitur, non quidem quoad omnimodam sui gradualem perfectionem, sed quatenus secundum se spectantur, ac perinde nihil latet videntem: ex hoc autem non sequitur comprehensio: Deus enim, etsi secundum suam essentiam à Beatis perfectè intelligatur, non tamen intelligitur quantum est in se intensivè intelligibilis, cum semper supersit aliquid in eo perfectius, & perfectiùs intelligendum, quod quidem à solo Deo fieri potest, in quo tanta est vis intelligendi, quanta est infinitas objecti intellecti. Et hoc est, quod dicunt Theologi, Deum simplicissimum, & infinitum intelligi quidem totum, & integrum à Beatis, non tamen totaliter.

CAPUT II.

Utrum Animæ Justorum innoxiæ, vel maculis purgatæ Deum videant intuitivè ante extremum Judicii Diem?

25. ORientales Sectarii, etsi convicti argumentis, possibilem visionem beatificam intuitivam fateantur: ne tamen videantur liti cessisse, nolunt confiteri, hujusmodi visionem ante Diem extremi Judicii ab Animabus assequi posse, sed in quibusdam Tabernaculis eas collocant futura præmia expectantes. Opinionem hanc ab omnibus fere Orientalibus Sectariis teneri, asserit Dominicus à Trinitate lib. 4. Bibliot. sec. 10. cap. 25., & à nonnullis Græcis Schismaticis, teste Papadop. in Prænot. Mystag. sect. 10.

26. Prius-

26. Priusquàm quæstio decidatur, advertendum est, Beatitudinem, qua Cælites fruuntur, aliam esse intensivam, extensivam alteram. Intensiva sumitur à Deo intuitivè cognito, & amato, in cujus possessione Anima ultimatè conquiescit; extensiva est, quæ ob unionem cum Anima, in corpus quoque redundat, illudque magnis bonis locupletat, atque in suo genere facit beatum, quæ nisi impediatur, ut in Christo contigit, necessaria quadam necessitate dimanat: hinc Dotes gloriosæ, claritas nimirum, subtilitas, & velocitas æquales nos efficiunt aliquo pacto Angelis Dei. His positis sit.

SECTIO PRIMA

Justorum Animæ ritè purgatæ Deum intuitivè vident ante Diem extremi Judicii.

27. PAtet hoc ex Scripturis: nam Damnati statim post obitum ad locum supplicii æterni adeunt; ergò etiam Prædestinati ritè purgati adeunt statim locum beatitudinis, & Deum statim intuitivè vident. Conseq. est evidens, cum Deus ad præmia pronior sit exhibenda, quam ad pœnas irrogandas. An. autem patet ex Job. 10. 20. 21., ubi Deus rogatur: *Dimitte ergò me, ut plangam paululùm dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: Terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Hic de Inferno fit mentio: si autem statim post mortem Damnati ad eum non descenderent, stultè rogasset Job Dominum Deum, ut vitæ termi-

terminum prorogaret, quo locum tormentorum adire deberet, quando quidem usque ad Diem Judicii dilatio pateret. Lucæ 16. 22. adducitur factum Divitis; & mendici Lazari: de quibus dicitur; *Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ: mortuus est autem & Dives, & sepultus est in Inferno*; igitur damnatus Dives statim post mortem infernalibus pœnis est addictus. Nec refert, hanc esse non Historiam, sed Parabolam, uti à multis censetur: nam etiam in Parabolis semper denotatur, quod ordinariè contingit juxta regularem rerum ordinem, & ideò prò instructione adhibetur; ergò si Dives statim post mortem sepultus est in Inferno satis innuitur, hoc ipsum semper contingere, nempe morientes in peccato statim ad Inferos descendere, uti Prædestinati ad Patriam mittuntur, sicut missum esse statim mendicum ad Sinum Abrahæ narrat Parabola.

28. Item Lucæ 23. 42. 43. Cum unus ex latronibus Jesus in Cruce ipsi comes dixisset: *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum*: Christus respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso*; ergò latro ille ante Diem Judicii beatitudinem æternam obtinuit, cum deberet esse cum Christo veram beatitudinem obtinente: sive enim ly *Hodie* referatur ad ly *dico tibi*, ut volunt Græci, sive referatur *ad mecum eris*, ut optimè censet Communis Expositorum opinio, semper idem convincit: profectò enim Christus, ut beatitudine Paradisi gauderet, extremum Judicii Diem minimè expectavit; sed *ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, uti ad Ephes. 4. 8. habetur.

29. Item

29. Item 2. ad Corinth. 5. 6. 7. 8. ait Paulus: *Audentes igitur, & scientes, quia, dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem, audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*: hic habetur: *Dum sumus in hoc corpore, nos peregrinari à Domino*; ergò statim post mortem spoliati corpore, non amplius peregrinabimur à Domino; ergò statim post mortem fruemur Domino: deinde cupit Paulus peregrinari à corpore, ut præsens sit apud Dominum: hoc autem desiderium esset stultum, nisi statim post mortem frueretur Domino: nam adhuc peregrinaretur à Domino; ergò insipienter Paulus ad Philip. 1. 23. Cupiebat dissolvi, & esse cum Christo.

30. Item Jacob. 1. 12. habetur: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*: probatio autem, & lucta non est post mortem; ergò, si finita probatio erit, morte adveniente, accedet corona visionis intuitivæ Dei: Juxta illud Joan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Hinc Stephanus Act. 7. 55. 58. cum vidisset gloriam Dei, & Filium Hominis stantem à dextris Dei, lapidibus obrutus exclamavit: *Domine Jesu suscipe spiritum meum*; ergò ex Divinis Scripturis etiam ante diem extremi Judicii Animæ purgatæ Deum de facto intuitivè vident.

SE-

SECTIO SECUNDA

Idipsum ex Ecclesiæ Decretis, ac Patrum authoritate convincitur.

31. FLorentinum Concilium Oecumenicum, quod à Græcis, & Armenis recipitur, in lit. Union. ità se habet: *Item diffinimus, illorum Animas, qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in Cælum mox recipi, & intueri clarè Deum Trinum, & Unicum sicuti est in se, prò meritorum tamen diversitate, alium alio perfectiùs*. Idipsum sancitur in Tridentino ses. 25. in decret. de Invocat. Sanct., à Benedicto XII. in Extravag. *Benedictus*, Innoc. III. in Lateran. IV. Cap. *Majores* de Baptis. Alexand. III. Cap. *Apostolicam* Clem. IV. in form. Fidei ad Michaelem Græcorum Imperatorem: ergò ex Doctrina, & sensu Ecclesiæ, Beati etiam ante finale Judicium Deum vident intuitivè.

32. Idipsum Patres Orientales antiquissimi, & quidem priorum Ecclesiæ sæculorum unanimi tradunt, aut supponunt consensu. Greg. Nazianz. Orat. in Mag. Basil. *Tu obiter è Cælo nos respice &c. ut hinc demum discedentem me in æterna tabernacula recipias, & Beatam Trinitatem eo, quo est, modo tecum pariter contemplari valeam*. Nissen. orat. in S. Efrem: *Tu verò divino assistens Altari, Vitæque Principi, & Sacrosanctæ una cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare*. Eadem asserit Ignatius Mart. epist. ad

ad Rom. *Aqua viva manens in me intrinsecùs mihi dicit : Veni ad Patrem* : per venire autem *ad Patrem*, intelligit Dei visionem intuitivam, subdit enim: *Sinite me puram lucem aspicere*, & rursus; *miserabilis sum nunc, donec Deum merear adipisci*; & ideo martyrii desiderio flagrabat, inquiens: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar*. Simili pacto loquuntur alii Patres, ut Areopag. de Eccles. Hierar. Cap. 7. par. 1., & 3. cap. 7. Justinus Martyr Orat. ad Anton. Epiphan. hæresi. 78., & alii videndi apud Bessarion. lib. 8. ad Græcos, & Gennad. in demonf. Decret. Florent. cap. 4. igitur ex sensu Ecclesiæ, & Patrum Beati vident Deum intuitivè, etiam ante finale Judicium.

SECTIO TERTIA

Idipsum rationibus ostenditur.

33. I. Radix meriti non est in corpore, sed in libera Animæ voluntate; ergò cum Anima ante Judicii Diem, & interdum statim post mortem sit purgata, statim præmio æternæ Beatitudinis affici debet, sicuti statim post mortem peccato mortifero fædata suppliciis æternis addici.

34. II. Videtur repugnare divinæ Bonitati Animas Sponsas suas nulla labe fædatas, vel iisdem purgatis, dilatione præmii affligi; spes enim, quæ differtur, affligit animam, cum Deus ad munificentiam, quàm ad rigorem sit pronior; ergò &c.

35. III. Animæ Justorúm disparibus peccatis onustæ æquali pœnâ plecterentur: nam om-

omnes usquè ad diem Judicii Dei beatificâ visione privarentur, quod maximum omnium supplicium est; igitur &c.

36. IV. Nulla daretur distinctio veteris, ac novi Testamenti: nam etiam in Novo Animæ Defunctorum detinerentur in latibulis, nec faciem Dei videre possent, uti contingebat in veteri, donec dies Judicii adveniat; ergò &c.

37. V. Ecclesia Catholica invocat veluti in Cœlo, & cum Christo regnantes plerosque defunctos, etsi dies Judicii minimè accesserit, & hoc etiam apud Græcos, apud Gennad. loc. cit. & Papadop. in calce ultimæ Quæst. Prænot. Mystag., quod sanè cum Patribus antiqui Testamenti minimè fiebat; ergò supponit Ecclesia, animas purgatas Deo frui intuitivè, perspecto etiam ante Diem finalis Judicii.

SECTIO QUARTA

Solvuntur Objectiones.

38. Obji. I. ex Scripturis: nam Matth. 25. 34. 41. in extremo Judicio Electis dicetur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à Constitutione Mundi*. Reprobis autem: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Quibus verbis innuitur distributio prœmiorum, & pœnarum; ergò Electi prœmia minimè obtinuerunt: & propterea dicitur v. 46. *& ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in Vitam æternam.*

39. Item Matth. 20. 9. 10. 11. Pater Fami-

milias in Vesperâ operâriis omnibus eamdem mercedem largitur, etsi diversis temporibus laborassent; ergò vita æterna, quæ est præmium data est omnibus post diem Judicii, quod per vesperam intelligitur, alioquin querela ipsorum non fuisset justa, & malè Pater familias respondisset.

40. Rursus I. Joan. 3. 2. habetur; *Charissimi nunc Filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Per ly: *apparuerit* intelligitur Christus, ut patet ex contextu: non apparebit autem nisi in extremo Judicio; ergò non videbimus Deum intuitivè, nisi post extremum Judicium.

41. Deinde Hebr. 11. 13. Apostolus, enarratis ærumnis, quas veteris Testamenti Patres, Fide mediante, sustinuerunt, scribit *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus*; & v. 39. 40. subdit: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis cnosummarentur*: hoc autem falsum esset, si Beati Deo fruerentur ante finale Judicium: nam illi jam fruerentur repromissionibus, nec nos ulio pacto expectarent.

42. Ulterius Apocal. 6. 9. Animæ interfectorum *sub Altari Dei* postulant vindictam de suis occisoribus, & accipiunt divinum responsum 11. *Donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi*: isti sunt Martyres, qui procul dubio adhuc non regnant in Cœlo Deo fruentes, alioquin non essent sub, sed supra Altare, nec expectare deberent, donec compleatur nume-

numerus conservorum suorum; qui sunt interficiendi.

43. Tandem II. Machab. 12. 43. 44. de Juda Machabæo habetur: *Misit Jerosolymam offerri prò peccatis mortuorum Sacrificium, benè, & religiosè cogitans de resurrectione; nisi enim, eos, qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare prò mortuis*. Hic conjungitur effectus Sacrificii cum resurrectione; ergò effectus Sacrificii non habetur ante resurrectionem, quæ fit tempore extremi Judicii, alioquin stultè oraretur prò mortuis, ut die resurrectionis requiem haberent, si eam antea possent obtinere. Quod quidem ex D. Paulo videtur confirmari 1. Corinth. 3. 12. ubi, cum dixisset antea, Christum esse architectum Domus, cæteros verò esse ministros ædificationis spiritualis, nempe Doctores, & Pastores, subdit: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, nempe Christum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Hoc loco Divus Paulus asserit, discussionem, seù probationem operum, quibus electi à reprobis scernuntur, sine qua probatione electi Deum intuitivè videre non possunt, fieri die Domini, idest extremi Judicii; sic enim dies Domini in Sacris Scripturis intelligitur, ut Soph. 12. 14. Amos 5. 18. Abdiæ 2. 13. Act. 2. 21., & alibi passim; ergò ante diem Judicii

Ele-

Electi non possunt Deum intuitivè videre, &

44. Resp. Ad Primum ex adductis ne. ant. cum verò probatum est ex Matth. 25. nego conseq. ibi enim fit mentio de Hominibus perfectis, & integris, non de puris animabus, jam in privato mortis judioio examinatis: & propterea verè ibunt Justi in vitam æternam, & reprobi ad Inferos; quia, licet antea secundum Animam vel ad Cœlum, vel ad Inferos perrexerint, non tamen secundum integrum Hominem, qui, sicuti peccavit, aut benè egit, ita quoque etiam secundum corpus, aut præmia æterna, aut æternum debet referre supplicium, & hoc publicè coram omnibus fieri debet, ut appareat, quod *Universæ viæ Domini sunt misericordia, & veritas.*

45. Ad II. ne. conseq. ad hoc enim ut verificetur illa Parabola, sufficit revera dari idem præmium Beatitudinis propter bonitatem Patris Familias, etiam si detur in vespero, sive illa sumatur prò extremo, sive prò particulari Judicio, etsi præmium illud alii citiùs, alii tardiùs accipiant.

46. Ad III. Ne. min. verè enim non videbimus Christum, ut est in se, & oculo corporeo, nisi post extremum Judicium: hinc enim erimus ei similes gloria non minus corporis, quam Animę: at hoc non probat, non posse ante videri oculis mentis, & alia ratione esse ei similes: quare argumentum ad rem non facit.

47. Ad IV. Ne. min. non enim ante nos, & sine nobis illas repromissiones, idest vitam æternam secundum Animam acceperunt, sed nobiscum, eo quia illam non obtinuerunt, nisi post mortem Christi, post quam etiam nos illam accipimus: Si verò per repromis-

sìones Beàtitudo completa, tam Animę, quam corporis intelligatur, etiam illam nobiscum post resurrectionem accipient: idcircò optimè ait Apostolus eos sine nobis non accepisse repromissiones.

48. Ad V. Ex Apocal. 6. 9. ne. conseq. ex eo enim quia Animæ, illæ pro Christo interfectorum dicantur esse sub Altare, non concluditur esse ipsas extra Altare, & multo minùs extra Templum; sed esse quidem Beatas, non tamen Beatitudine Deo, aut Christo æquali: sive enim maneant sub, aut ante Altare, semper coram Deo intuitivè viso morantur; adeoque Beatitudine gaudentes, uti de illis, qui manent ante Altare in eodem capite asseritur. Quod verò Animæ Martyrum clamare dicantur, & ultionem exercitæ ab impiis crudelitatis, & prò liberatione confratrum à tyrannide persecutorum, hoc profectò Beatis minimè incongruum est, cum ipsi non minus Dei justitiam, quam misericordiam, & liberalitatem commendent. Dicuntur quoque Beatitudine decoratæ, & expectare numerum pro Christo interficiendorum, quia ipso completo post finale Judicium, integram etiam corporis cum eisdem Beatitudinem obtinebunt; quæ quidem spes, quoniam ad corpora glorificanda refertur, nequaquam tollit Beatitudinem essentialem Animę, quam statim post purgationem obtinuerunt: adeoque argumentum hoc nihil penitus ad rem facit. Videatur Cornel. à Lapide super cap. 6. Apocal., ubi rem hanc eruditissimè versat.

49. Ad ult. ne. conseq. solummodo enim sequitur hoc, quod, nisi daretur resurrectio mortuorum, neque daretur Vita æterna, quæ in Dei visione, ac fruitione præcipuè consistit;

non

non verò non dari visionèm Beatificam, nisi positâ resurrectione mortuorum. Quamvis enim absolutè loquendo posset dari visio Beatifica, quin daretur resurrectio, de facto tamen ità connectuntur, ut ex resurrectione mortuorum arguatur etiam Beatitudinis existentia, non quod Beatitudo differatur post resurrectionem, sed quia nisi daretur resurrectio, neque daretur Animæ immortalitas: adeoque neque ipsius Beatitudo: hinc malè infertur ex resurrectonis admissione dilatio Beatitudinis, & propterea sapienter oratur prò mortuis; quia, stante resurrectione, orationes prosunt defunctis, ut purgati Cœlum adeant, etiamsi hoc fiat ante resurrectionem.

50. Proindè ad conf. quoque Resp. neg. universaliter, per diem Domini semper intelligi diem extremi Judicii; sed posse quoque intelligi diem mortis, in quo severissima fiet operum discussio, & optime inter se argentum, aurum, lapides pretiosi, & stipulæ, ac paleæ, discernentur, & quale sit uniuscujusque opus, ignis Judicii Dei probabit, uti dicunt Patres, ut August. de Fid. & operibus cap. 16. Greg. Mag. lib. 4. Dial. cap. 39. & alii. Si verò per diem Domini, dies extremi Judicii intelligatur, ut Divinæ Scripturæ videntur innuere, & tunc vel de discussione publica, & communi omnium operum intelligendum est, non verò de privata, quæ ad unumquemque in particulari dirigitur; vel de illis Justis, qui tempore extremi Judicii vivent, vel paulo ante objerunt: isti autem in carcerem Purgatorii detrudi minimè possunt, ad Tribunal Dei statim trahendi, juxta illud Pauli ad Thessal. 3. 16. *Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam*

 Chri-

Christo in area, & sic semper cum Domino erimus, & propterea cum purgandi tamen sint, igne illo, quo mundus conflagrabit, purgabuntur: nam ignis ille, qui in fine mundi Judicium præcedet, omnes quidem conflagrabit, Electos ut purget, Reprobos, ut torqueat, & interficiat, juxta illud Isaiæ 66. 15. 16. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabit*. Psal. 49. 4. *Ignis in conspectu ejus exardescet*; & Psal. 96. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Et Patres docere videntur, ut Basil. de Spir. Sanc. cap. 15. & in cap. 9. Isaiæ, Origen. Hom. 3. & alii, quos citat Brancatus Noster 4. sent. tom. 4. de Quat. Novifs. disputatione 11. art. 10.; igitur D. Paulus loquitur loco cit. non de omnibus Electis purgantibus, sed de viventibus tantum in Mundi fine purgatione indigentibus: ex hoc autem non sequitur, eos, qui finem Mundi præcesserunt, aut purgatos, aut nulla indigentes purgatione, in Cœlum minimè conscendisse, aut Deum nequaquam intuitivè vidisse.

51. Obji. II. ex Patribus Justinus Martyr Quæst. 60. asserit, Historiam Lazari, & Divitis, esse Parabolam, quia nondum facta est retributio, & Quæst. 67. quærentibus Gentilibus, cur, si ante resurrectionem bona opera præmium non obtinent, Latro in Paradisum fuerit introductus? Minimè respondet, quia secundum Animam Beatitudinem obtinuit, sed tantummodo eum esse in cœtu Beatorum Origenes Hom. 7. in Lævit. *Nondum Sancti receperunt lætitiam suam, sed & ipsi expectant*,

pectant,

pectant, ut ego lætitiæ eorum particeps fiam! Chrysos. Hom.28. in epist. ad Heb. *Ne aliquid præ nobis* (supple Electi) *habere viderentur, si primi ante nos coronarentur, unum definivit tempus omnium coronarum*: Similia, imò clarius dicit Hom.39.in prior. ad Corinth. Ambr. lib.2. de Cain. cap.2. *Solvitur*, inquit, *à corpore Anima, & post finem vitæ hujus, adhuc futuri Judicii ambigua suspenditur*: Non autem maneret ambigua, si Deum intuitivè videret. August. epist.3. ad Fortunat. exponens quædam verba D. Hieronymi ait: *In bis verbis Hominis Dei multa consideranda sunt. Primum quia secundum apertissimam Domini sententiam etiam ipse sentit, tunc visuros faciem Dei cum in Angelos profecerimus, idest æquales Angelis facti fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum*. Idipsum clarius asserit super Psal.36. Bernardus, serm. 3. de omnib.sanc. *In illam Beatissimam Dei Domum Animæ nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis: idest nec Sancti sine plebe, nec Spiritus sine carne*. Quid clarius? Idipsum habet serm.4. explanans illud: *Vidi sub Altare Dei*; ergò ex Patribus Electi non vident Deum intuitivè ante diem Judicii.

52. Resp. ne. conseq. Justinus idcircò ait, Historiam Lazari videri Parabolam; quia nondum facta est retributio: at hoc facit prò nobis: quia vera, & perfecta retributio fit Homini secundum corpus, & animam; hæc autem fit post extremum Judicium: Ex hoc autem non sequitur, non fieri retributionem secundum Animam: neque hoc dicit Justinus; & propterea reposuit Gentilibus, post mortem à Latrone obtentam Beatitudinem, dum ait, eum esse in cœtu Beatorum: Irenæus mi-

nimè asserit, Animas post mortem non ituras ad Dominum, sed easdem cum corporibus post resurrectionem ituras; quod utique verum est; ante enim absque corpore perrexerunt ad Dominum: dicuntur autem in locum invisibilem deferri, quia Sedes Beatorum ab omni est sensu remotissima: & ibi optime dicuntur expectare resurrectionem, ut simul in corpore publicè, & coram omnibus, & cum cæteris Beatis ad Dominum pergant. Origenes loquitur de Beatitudine integra secundum corpus, dum ait, in loco quietis expectare, ut nos quoque lætitiæ simus participes, cum uno agmine, resumpto corpore, cum Christo Cœlos ascendemus. Chrysostomus intelligitur de coronis perfectis, quæ dantur Hominibus integris, non puris Animabus, quod quidem non fit ante, sed post resurrectionem. Hoc pacto loci alii Chrysostomi interpretandi sunt, cum aliis in locis clarissimè prò nobis loquatur. Itaque, & ipse, & alii Patres Græci eodem pacto intelligendi, nempe de Beatitudine completa, etiam secundum corpus, & publica totum Hominem afficiente. Ambrosius tantummodo vult loc. cit., Animas à sæculo decedentes, diem extremi Judicii ignorare; quem nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater: Matth.24. 36. *De die illa, & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater*. Cæterum Ambros. nostram tenuisse sententiam, clarissimè lib.7. epist.59. habetur de Acolio Episcopo sermonem faciens è vivis sublato, quem dicit, facie ad faciem Deum aspicere. Augustinus nobiscum est, ut patet ex lib. medit. cap.22. in aliis ergò locis intelligendus est de Beatitudine integrum Hominem, non solam Animam afficiente, tametsi de loco

ista-

istarum Animarum interdum dubitaverit, non tamen de Beatitudine: nam etiam Dęmones interdum extra Inferos versantur, nec tamen desinunt esse damnati. Bernardus locis in objectione cit. nihil aliud vult, quam Animas cum Christo ante extremum Judicium regnantes non eadem perfectione Deum inspicere, sicuti post resurrectionem: impediuntur quippe summâ erga corpus reasumendum inclinatione, non verò quod reipsa Deum non videant, ut ipsemet Bernard. pluribus in locis præcipuè in serm. de S. Malachia testatur, quem ad fontem ipsum claritatis æternæ asserit procumbere pleno ore haurientem, quem ardentissimè sitiebat.

53. Obji. III. Ratione I. Christus Dominus exemplar nostrum post mortem minimè ad Cœlos ascendit, sed ad Inferos descendit, & postea ad Cœlum evolavit; ergò etiam Animæ Justorum, etsi purgatæ, expectant usque dum etiam cum corpore Beatitudine sua fruantur.

54. II. Non Anima sola, sed suppositum, aut benè, aut malè operatum est; ergò non Anima solum præmium Beatitudinis consequi debet; igitur si corpus ante diem Judicii Beatitudinem suam minimè consequitur, neque Anima consequetur.

55. III. Corpus quoque habet meritum suum, sicut habet præmium suum: Anima enim à corpore semota non est capax meriti, & demeriti; ergò sicuti præmium non conceditur corpori, neque Animæ concedendum est.

56. IV. Anima numquam esset Beata corporis expers, cum dicat inclinationem ad corpus, cujus privatione manet in statu violento, quod omninò indecens est; ergò &c.

57. V. Anima cupit gloriam corporis, quod est suppositi; ergò non est beata, cum spe crucietur corporis glorificandi: Spes autem quæ differtur affligit Animam; ergò non statim post mortem, etsi purgata sit, Deum videt, & Beata efficitur, sed expectat usque ad Diem Judicii, quo peracto, præmium integrum Beatitudinis consequetur.

58. Ad primum resp. ne. conseq. solummodo enim sequitur; nos debere secundum Corpus prius in sepulchro quiescere: deinde cum Christo in Cœlum ascendere, non verò secundum Animam, alioquin omnis Anima Inferos descenderet, quod ridiculum est: imò potius in oppositum arguitur: Anima Christi, quia capax Beatitudinis, etiam in Inferno degens Beatitudine fruebatur; ergò Animæ Sanctorum purgatæ maculis omnibus Beatitudinem obtinebunt ad Christi exemplum.

59. Ad II. ne. conseq. sufficit enim suppositum præmiari, aut puniri secundum partem principaliorem, nempe Animam rationalem, à qua, uti principio elicitivo ut *quo*, manant omnes vitales operationes, etsi suppositum concurrat ut *quod*, & propterea eodem pacto & Anima, & suppositum in suo ordine ad operationes meritorias concurrunt.

60. Ad III., & ad quartum dico: Animam mereri per seipsam posse actibus intellectus, & voluntatis, eo quia libero potitur arbitrio: Corpus autem absque Anima mereri non potest: & quamvis Anima extra corpus nequaquam mereri valeat, cum sit in termino, non in via, meretur tamen in corpore, cujus meritum ab Animæ actibus originem habet, non verò à corpore, nisi veluti instrumento, & propterea Anima etiam absque

cor-

corpore Beatificari potest, non corpus absque Animæ. Idcirco autem Animæ veteris Testamenti minimè post mortem statim Deum videbant, non quia essent in se incapaces; sed quia præmium redemptionis nondum erat solutum.

61. Ad V. ne. conseq. illo enim argumento solummodo evincitur, Animas ob inclinationem ad corpus non frui quacumque Beatitudine extensiva, non autem intensiva, quam certè inclinatio ad corpus minimè potest quoad essentiam impedire videndo Deum intuitivè, de qua nunc controvertitur.

62. Cæterum, etsi nonnulli Doctores, ut August. lib.2. de Civit. Dei cap.13. Bernard. Richard. Bonavent., & alii sentiant, non ita Animas perfectè videre Deum ob inclinationem ad corpus; alii tamen oppositum censent, ut Divus Thomas 1. 2. Quæst.4. art.5. eo quia potentiæ vitales, intellectus nimirum, & voluntas, ipsissimæ sunt, objectum idem, & principium elevans idem est, ad quarum actus intendendos, vel remittendos, nihil penitus corpus facit, à quo, quantum ad illos, Anima minimè pendent.

CAPUT III.

De Purgatorio.

63. PLerique ex Orientalibus Sectariis Purgatorii negant existentiam, Occidentalium Hæreticorum comites effecti, ut Græci Photiani, Armeni, & alii, variosque errores circa Dogma hoc mordicùs tenuerunt, qui propterea examen subire debent, an justè ab ipsis sustineantur?

SECTIO PRIMA.

An detur Purgatorium?

64. PEr Purgatorium hic intelligimus locum, & ſtatum, in quo Animæ juſtæ quidem, ac æternæ fælicitati deſtinatæ, maculis tamen venialium aſperſæ, aut læthalium pœnis nondum ſolutis, æternam adhuc Patriam vetantur introire.

65. Notandum eſt hic nullam eſſe quæſtionem, de pœnarum qualitate, quibus animæ purgantes affliguntur, nec in dubium vocari, quin venialia dentur à mortalibus contradiſtincta, nec ſemper in juſtificatione tolli reatum integrum pœnæ, licet culpæ macula tollatur; omnia enim hæc, etſi ab Occidentalibus Hæreticis negata, minimè ab Orientalibus in controverſiam vocantur, ſed volunt ſolummodo, non dari locum, & ſtatum, in quo Animæ juſtæ decedentes è vivis detineantur, pœniſque exerceantur, atque maculis purgentur, antequam Cœleſtis Beatitudinis præmia conſequantur.

SECTIO SECUNDA.

Datur Purgatorium in ſenſu explicato.

66. PAtet ex Scripturis; nam ex Veteri Teſtamento Malac.2. 3. habetur de Deo judicium exercente: *Ipſe quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi*

quasi argentum : quibus verbis ostenditur, Deum purgare tribulationibus, & suppliciis viventes, ut mundi fiant, & Deo placeant, hoc enim indicatur verbis sequentibus; subdit en. v.4. *& placebit Domino sacrificium Juda, & Jerusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui* ; ergò multò fortiùs purgandi sunt, qui Deum videre debent intuitivè, & purissimum Deo laudis Sacrificium oblaturi ; ergò necessariò Purgatorium est admittendum, cum plerique, priusquam Animam expirent, maculis sint fœdati peccatorum.

67. Ex novo habetur Matth. 12. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in in hoc sæculo, neque in futuro*. Hic de Purgatorio sermo est, ex D. August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 24. Greg. Dial. 39. & aliis apud Alapide in hunc locum Matth. habetur enim distinctio peccati, quod remittetur in futuro sæculo, & illius, quod minimè remittetur ; si autem non daretur Purgatorium, hæc distinctio esset inanis, quandoquidem nullum remittetur ; ergò revera datur Purgatorium.

68. Item 1. Corinth. 3. 14. 15. dicitur: *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit : si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet : Si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit ; sic tamen quasi per ignem*. Hic apertissimè de Purgatorio fit mentio; dicit enim opera bona Doctorum, & Concionatorum mercedem acceptura; alia saluti quidem profectura ; sed ignem probatorium adhibitum iri, ut Spiritus salvus fiat, & quidem in die Domini, sive sumatur prò privato uniuscujusque judicio, sive

prò universali : & reipsa locum hunc ita intelligebat S. August. in Psal.37. qui propterea Deum rogabat, ut in hac vita purgaretur, ne ignem illum probatorium acerbissimum experiri cogeretur; igitur ex Divinis Scripturis datur Purgatorium.

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Ecclesiæ Decretis, & Patribus ostenditur.

69. FLorentina Synodus sæpè citata, cujus Decreta tam Græci, quam cæteri Orientales libenti animo susceperunt, in Decreto unionis ità loquitur decisivè de Defunctorum Fidelium Animabus : *Item si verè pœnitentes in Dei Charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum Animas pœnis Purgatorii post mortem purgari*; ergò ex decisione Ecclesiæ Universalis datur Purgatorium.

70. Ex Patribus multi sunt idipsum asserentes, nedum ex Latinis, sed ex Græcis, & quidem antiquissimis, ut Basilius Mag. in c.9. Isaiæ : *Si igitur per confessionem detexerimus peccatum jam succrescens gramen arefecimus, dignum planè, quod depascatur, ac devoret Purgatorius ignis*; & infra: *Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem juxta Apostoli sententiam: ipse autem salvus erit quasi per ignem.* Greg. Nissen. Basilii Magn. Frater orat. pro mort. *Non poterit à corpore egressus Divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas Purgatorius ignis abstulerit*. Similia dicunt

Theo-

Theodoret. in Schol. Græc. in 1. Corinth. S. August., quem Græci maximè faciunt, in Psal.37. Greg. Mag., quem Ecclesia Orientalis meritò amplectitur in 3. Psal. pœnit., & alii multi, quos congerunt Bessarion epist.2. Encicl. Gennad. Schol. in Demon. cap.3. Arcud. lib. cont. Barlaam. Leo Allat. lib. de Purgatorio.

SECTIO QUARTA

Evincitur idipsum ratione aliqua.

71. PRimo : Plerique cum multis venialibus decedunt non adhuc remissis; vel quia eorum ipsos numquam pœnituit; vel quia, morte adveniente, præventi sunt, ne pœnitentiam eorum agerent : prò his autem Animabus è corpore exeuntibus nequit assignari Empireus, neque Infernus; ergò necessariò Purgatorium admittendum est. Non quidem Cœlum, eo quia maculis venialibus omnibus non adhuc sunt purgatæ : neque etiam Infernus ipsis debetur, eo quia in gratia decesserunt; ergò ipsis locus Damnatorum assignari nequaquam potest, cum ad Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; ergò remanet Purgatorium necessario admittendum, in quo maculæ relictæ igne illo emendatorio penitùs absumantur.

72. Secundò, Plerique, plura, & quidem gravissima scelera committunt, quorum etsi eos pœniteat, ac propterea justificationis gratiam consequuntur, juxta Ezechiel 18.21. 22. attamen pœnam temporalem iis congruam minimè ante obitum persolvunt, aut ignavia,

viâ, & torpore, aut morte improvisa præventi: His verò Carcer infernalis nequaquam competit, utpote justificatis; neque etiam æternæ congruit tunc fœlicitatis possessio, quia supersunt adhuc debita solvenda pœnæ temporalis, cui minimè satisfecerunt; ergò prò istis necessariò Purgatorium admittendum est, ut Deo offenso, ibi per tormenta plenè satisfaciant.

73. Neque ex hoc, quod Reprobi statim post obitum ad Inferos descendant, argui potest, Justos statim Cœlos ascendere: nam Reprobi in peccato mortali defuncti, cum Deo sint odibiles, ejusque inimici, locum damnationis adire debent, quorum bona opera ante peccatum, vel in ipso peracta, non mortificata, sed mortua sint, & proinde nullum prœmium merentur, quod abundè, dum viverent, ex bonorum temporalium ubertate, & fruitione perceperunt: justi autem, etsi amici sint Judicis, ejusque Filii adoptivi, non statim post mortem adipisci possunt hæreditatem, cum adsint macularum venialium, aut pœnarum, quæ nondum solutæ sunt, impedimentum; & propterea prò his Purgatorium est admittendum.

SECTIO QUINTA

Solvuntur Objectiones.

74. OBji. I. Justi in Domino moriuntur; ergò statim post obitum Beatitudinem obtinent, adeoque non datur Purgatorium. Prob. conseq. ex Apocal. 14. 13. ubi habetur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant*

scant à laboribus suis; ergò si illi, qui moriuntur in Domino, requiescunt à laboribus suis, profectò beatitudinem consequuntur, uti asseritur Psal. 126. 4. *Cum dederit dilectis suis somnum*; *ecce hæreditas Domini*, *Filii merces fructus ventris*: sed somnus Justorum est mors; ergò si hæreditas Domini habetur statim post somnum, statim post mortem habetur.

75. Resp. neg. conseq. ad probat. ne. pariter conseq. solummodo enim sequitur, defunctos in Domino requiescere à laboribus suis, quibus, dum viverent, exercebantur, non verò perfectè quiescere, donec eorum labes perfectè abstergantur: vel si de perfecto quiescere Scriptura loquatur, de iis intelligi qui ante mortem erant perfectè purgati, quales sunt Viri sanctimonia clari, cupiditatibus suis omninò mortui, & peccatorum expertes, de quibus Apost. ad Colos. 3. 3. ait: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Videatur Cornel. à Lapide in locum hunc ubi varias adducit ex Patribus explicationes.

76. Quod verò subditur ex Psal. 126. nihil officit, Deo dilectis verè posse dici, dum decesserint: *Ecce hæreditas Domini*: illam quippe certè possidebunt, cum maculas suas absterserint; vel quia nequeunt illam adipisci, nisi post mortem, vel statim ad illam accedent, si sint perfectè purgati. Variæ hujus textus apud Titelmannum, Lorinum, Dionysium Carthusianum explicationes videri possunt, nihil Adversariis faventes.

77. Obji. II. Deus pollicitus est, in conversione peccatoris ita delere omnia peccata, ut nullus remaneat reatus pœnæ tempo-

ralis

ralis, Ezechiel. 18. 22. ubi ait, se peccatorum, quorum pœnitet, minime recordaturum: si autem daretur Purgatorium, Deus recordaretur iniquitatum, quas ibi severissimè puniet, uti obliviscitur omninò bonorum operum Justi à justitia deflectentis; ergò non datur Purgatorium.

78. Resp. maj. esse veram de conversione perfecta, & satisfactiva per pœnitentiam criminibus proportionatam: non de mera ad Deum conversione quoad reatum culpæ, pœnitentia criminum non adhuc peracta, quoad reatum pœnæ temporalis adhuc remanentis; quo pacto dist. min. Deus recordaretur quoad reatum culpæ, & pœnæ æternę ipsi respondentis ne. min. quoad reatum pœnæ temporalis restantis non adhuc solutæ conc. min. & neg. conseq. idcircò autem absolutè dicitur non recordari, quia pœna illa temporalis remanens solvenda, & facillimæ solutionis sivè per opera bona, sivè per indulgentias, & Ecclesiæ suffragia; ad reatum culpæ, & pœnæ æternæ comparata, quasi prò nihilo reputatur. Si tamen conversio peccatoris esset omnino perfecta ex intenso erga Deum amore propter se dilectum originem unicam trahens, utique non minus pœnam, quam culpam dimitteret, ut patet de bono Latrone ad Christum perfectè converso, & propterea Regni Cœlestis statim post mortem compote effecto, juxta pollicitationem Christi, Lucæ 23. 43. Idcircò autem merita in peccato læthali morientium apud Deum omnino pereunt, eo quia, dum moriuntur, inimici erant: Justi autem in gratia decedentes, & habentes mortalia remissa, puniuntur quidem temporaliter; at quia Justi sunt, eorum

Deus

Deus minimè obliviſcitur; in æternam quippè requiem, ſoluto pœnæ reatu, utique deferendi ſunt.

79. Obji. III. Aliud fundamentum præcipuum Adverſariorum. Poſt mortem Chriſti duo tantum dantur ſtatus Hominum ex hac vita decedentium, aut in damnatione, aut in ſalute æterna, ut patet Eccleſiaſ. 11. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, & clariùs Matth. 25. 46. in quo narratur extremum Judicium, & dicitur de damnatis: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum*, nempe Reprobi, *Juſti autem in Vitam æternam*, nempe Prædeſtinati. Hi verò ſunt illi, qui ſtatim poſt mortem loca ſibi præſcripta proficiſcentur, juxta merita, ut docet Paul. 2. Corinth. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria Corporis, prout geſſit, ſive bonum ſive malum*; ergò non datur Purgatorium, in quo haberetur alius Hominum locus, ſeù ſtatus, neque in Cœlo, neque in Inferno degentium.

80. Reſp. conc. ant., & neg. conſeq. Animæ enim purgantes verè ad Auſtrum pertinent, non autem ad Aquilonem, cum ſint prædeſtinatæ, æterna beatitudine, cum tempus purgationis effluxerit, afficiendæ. Loci autem adducti Scripturæ loquuntur de ſtatu fixo, & ultimato, non de temporaneo, & non ultimato, qualis eſt ſtatus purgantium, quæ poſt mortem Divino quidem Tribunali ſiſtuntur judicandæ: at quia inveniuntur juſtæ ſed maculis inquinatæ, Cœlo quidem deſtinantur incolæ futuræ, at priùs purgationem experiri debent, antequam Cœleſtem beatitudi-

tudinem percipiant ! & quidem sententiam hanc statim post mortem audiunt, & propterea sedent ad Austrum, quod de Reprobis non habetur ad Aquilonem pendentibus, & propterea statim ibunt ad supplicium æternum, quia eo digni sunt, utpotè inimici.

81. Obji. IV. Aliud fundamentum Adversariorum: In vita futura nullum peccatum potest remitti; ergò non datur Purgatorium: conseq. patet; nam idcircò locus ille admittitur, ut peccata venialia inter vivos minimè per pœnitentiam revocata, & condonata, ibi remittantur quoad culpam, & deleantur quoad pœnam: ant. etiam est evidens, quia peccatum quoad reatum culpæ non dimittitur, nisi per pœnitentiam ex Isaiæ 55. 7. ubi habetur: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus!* post mortem autem est impossibilis pœnitentia; ergò etiam omissio culpę: nam ex Damasceno lib. 4. cap. 4. *Quod est Angelis casus, est Hominibus mors*: Angelus autem post casum nequit resipiscere eo magis quia post hanc Vitam Justi nequeunt peccare; ergò nec resurgere à peccato: adeoque nec pœnitere, cum ad utrumque libertas requiratur, qua carent quantum ad hoc Animæ purgantes.

82. Resp. tametsi admitteretur ant., falsam esse conseq. nam Purgatorium datur quoque, ut pœna temporalis in hac vita minimè adhuc soluta, plenè impleatur; cæterum falsum est ant. ad cujus probat. ne. min. Damascenus enim vult solummodo, quod, sicut Angelus cadens immobiliter perseverat in statu suo, ita Homo post mortem: non verò, quod, sicut Angelus est prorsus immobilis,

ita

ità etiam sit homo post mortem . Angelus enim utpotè reprobatus, ad statum ultimatum pergit damnationis: non sic Justus moriens, qui decedit quidem in gratia, sed cum onere venialium nondum dimissorum, sine quorum purgatione statum ultimatum beatitudinis numquam assequetur: hæc autem purgatio fieri nequit absque pœnitentia saltem virtuali, & implicità in amore Dei super omnia propter se dilecti inclusa, hinc dimittuntur post mortem venialia quoad culpam, non verò quoad pœnam adhuc solvendam.

83. Quod verò subditur, nihil est: nam etsi ratione status Animæ purgantes peccare non possint, adhuc possunt resurgere, cum sint ad Deum perfectæ conversæ, nec eas ampliùs fomes concupiscentiæ ad malum impellat.

84. Si verò responsio hæc minimè placeat, reponi potest; pœnitentiam esse in via necessariam, non tamen in altero sæculo, in quo Animæ immobiles perseverant; quapropter dimissio venialium, vel in opera bona antecedentia magis Deo grata, quàm venialia displicuerint, refundenda est, juxta doctrinam Subtilis 4. dist. 21. Quæst. 1. vel in Charitatem antecedentem, qua, dum viveret, meruit relaxari, uti sentit Seraph. Doct. 4. dist. 22. quæst. 2. & propterea perpessio pœnarum in Purgatorio non est meritoria, sed merè solutiva, qua plenè completa, statim ad Patriam datur accessus.

CA-

CAPUT IV.

De Igne Purgatorii.

85. IGne Animas purgantes torqueri, in Dei Ecclesia minimè controvertitur, benè verò inter Græcos, & Latinos disceptatur, utrum ignis iste verus sit, & realis, an verò metaphoricus? Primum tenent Latini, secundum Græci, & Orientales; Florentinum enim circa hoc præcisè nihil decidit, unicè à Græcis exigens, ut Purgatorium admitterent, quod quidem præstiterunt: at Latinos ipsi reprehendunt, quod ignem verum in eodem admittant. Videndum est, an Latini hoc sentientes sint adeò absurdi, uti à Græcis diffamantur?

SECTIO PRIMA

Statuitur Conclusio affirmativa, atque ex Scripturis evincitur.

86. ISaiæ 4. 4. dicitur: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, & spiritu ardoris*: quem locum de Purgatorii pœnis intelligit August. lib. 2. de Civit. Dei cap. 25. Malach. 3. 2. dicitur: *Ipse enim quasi ignis conflans sedebit, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum*; quem pariter locum de Purgatorii pœnis intelligunt Origenes Hom. 6. in Exod. Ambros. in Psal. 36. & Hieronym. Commen. in hunc locum. Tandem 1. Corinth. 3. 12. 13. 14. Cum dixisset Apostolus,

Pastores, & Doctores superædificare super fundamentum, quod est Christus, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, subdit: *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit*, & post pauca: *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: quem textum præcipuè quoad ultima verba de Purgatorio intelligi, volunt, præter Latinos, Græci expositores, Origen. Hom. 14. Oecumen. in hunc locum, Theodoret. à D. Thoma citat. opus cont. Græc. & alii, debereque hunc locum ità intelligi, probarunt Latini in Florent. Prob. autem conseq. quia Scripturæ in sensu litterali, & quidem non metaphorico, intelligi possunt, quotiescumque nullum absurdum ex tali sequitur intellectu, ex D. August. de Genes. ad lit. lib. 9. cap. 12. & lib. 11. cap. 1., alioquin numquam Scriptura in sensu purè literali posset intelligi, quod apertè falsum est; ergò, si Scripturæ asserunt, Animas igne purgari, & examinari, de igne propriè dicto interpretandum est, non mystico, aut metaphorico.

SECTIO SECUNDA

Idipsum ex Patribus ostenditur.

87. GRegor. Nazianz. Orat. in Sanct. Lumen: de Animabus Defunctorum fidelium sermonem faciens: *In altero*, inquit, *igne baptizabantur, qui postremus est Baptismus, nec solum acerbior, sed & diuturnior, qui Crassam materiam instar fœni depascit.* Origen. lib. 8. in epist. ad Rom. Cap. 11. *Hæc ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisve sæculis*

de

de Peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest, cui Pater omne judicium tradidit. Greg. Nissen. orat. prò mortuis: *Non potest à Corpore egressus Divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit*. Euseb. Emiss. vel quicumque sit Author Hom. 3. in Epiph. Oecumen. in 1. ad Corinth. & ex Latinis plures, & quidem adhuc clarius, & concludentius, præ cæteris Ambros. in Psal. 36. August. in Psal. 37. lib. 21. de Civit. Dei cap. 16. de Genes. ad lit. lib. 2., & alibi passim. Greg. Mag. quem Græci Dialogum appellant lib. 4. Dial. Cap. 39. & in Psal. 3. pœniten. Detorquere autem hos Patres ad sensum metaphoricum, est Hæreticis ansam præbere, omnes Scripturas, & Patres in sensu literali loquentes ad sensus exoticos, & suis erroribus faventes incautè trahendi; igitur ex Patribus &c.

SECTIO TERTIA

Idipsum ratione aliqua suadetur.

88. I. EOdem igne purgantur Electi, & puniuntur Damnati; in Scripturis enim non adest signum ullum diversitatis, ut docet Gregor. Mag. lib. 4. Moral. cap. 29. atqui ignis, quo puniuntur reprobi in gehenna non est metaphoricus, sed verus, & realis etiam apud Græcos, ex Papadop. in Prænot. myst. ℞. 1. sec. 8. n. 5. Neque quantum ad hoc recurri potest ad tropos, & figuras, cum sit omnium uniformis Patrum consensus; ergò etiam ignis Purgatorius verus est, & realis, non metaphoricus.

89. II. Peccator Creaturis corporeis usus, est

est ad peccandum, & in Dei contemptum; ergò Creaturæ corporeæ Dei instrumentum esse debent, vel ad vindicanda, vel ad purganda delicta adversus ipsum commissa, ex Sapien. 11. 17. *Per quæ peccat quisquis, per hæc & torquetur*: sed aptissimum ignis sensibilis instrumentum est ad torquendam Creaturam, & propterea ipso utitur Deus ad reprobos in gehenna puniendos; ergò peccatores in Purgatorio igne sensibili aduruntur.

90. III. Græci admittunt, Animas sive purgantes, sive damnatas aliis pœnis sensibilibus, uti sunt tenebræ, loci angustia, turbinum agitatio, & alia hujusmodi, torqueri; ergò possunt Animæ illæ torqueri etiam igne corporeo: non enim est major ratio de illis, quam de isto.

91. Ultimo tandem Anima beata ex rebus etiam corporeis delectationem sumit: puta ex visione Humanitatis Christi, B. Virginis, & aliis similibus, juxta illud Psal. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*; ergò Animæ purgantes, multo autem fortius damnatæ, sustinere debent tormenta, nedum spiritualia, sed corporalia: inter ista autem præcipuum, & aptissimum est ignis corporeus; ergò ignis corporeus exercet Animas purgantes, veluti Divinæ Justitiæ tortor, uti eum appellat Gregor. Mag. lib. 5. Moral. cap. 14.

SECTIO QUARTA

Solvuntur Objecta.

92. OBji. I. Nulla ex Scripturis apparet necessitas admittendi hujusmodi ignem corporeum, ergò est Latinorum commen-

mentum. Conseq. patet, Prob. ant. ; quia Scripturæ omnes ab ipsis adductæ, vel adducendæ, de igne metaphorico, vel mystico explicari possunt, juxta August. de Civit. Dei lib. 21. cap. 16. ergò nulla necessitas cogit, admittendi ignem verum; tum quia sufficiunt spiritualia tormenta ad Animas purgandas, sicuti sufficiunt voluptates spirituales ad ipsas beatificandas; tum quia locus, quo præcipuè Latini utuntur ad hujusmodi ignem probandum, nempe 1. Corint. 3. quem alibi discussimus, dum Purgatorii existentiam probaremus, in quo dicitur: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, necessario metaphoricè intelligendus est; nam ea, quæ superiùs enumerat Apostolus; nempe aurum, argentum, lapides pretiosi, fœnum, stipula, quæ supra fundamentum à sapiente Architecto positum ædificantur, nempè opera bona, aut inutilia, nequeunt intelligi, nisi metaphoricè, ut ex se patet; ergò etiam ignis, quo ista probantur ex Apostolo, non potest esse nisi metaphoricus, sicuti metaphoricus est transitus Animarum, quæ judicantur, per ignem, & propterea dicit Apost. *quasi per ignem* denotando metaphoram.

93. Resp. neg. conseq. etsi enim nulla compellat necessitas ignem corporeum prò Animabus purgandis admittendi, nulla tamen repugnantia, vel absurditas apparet in ejus admissione; & propterea neque Græci ad ipsum admittendum, neque Latini ad eumdem negandum compelluntur: Hi autem posteriores minimè videntur posse reprehendi, dum sententiam apud Patres probabilem, & in Scripturis fundatam sequuntur, nec quidquam igni corporeo Purgatorii opponi potest, quin

quin etiam opponatur infernali, quem tamen Græci ut corporeum admittunt.

94. Secunda instantia nihil facit: quamvis enim sufficerent spiritualia tormenta pro Justis expurgandis, adhuc tamen non probatur, corporalia minimè adhiberi, cum hoc in Dei Omnipotentis situm sit libertate, quod quidem etiam in Damnatis contingit.

95. Ad III. neg. conseq. & dico, argentum, aurum, stipulam intelligi debere metaphoricè, ut ipsamet cogit natura rerum; cum notum sit, opera Justorum nec aurum physicum, nec argentum, nec stipulam esse posse; idcirco in sensu metaphorico, aut mystico sumenda sunt; non verò repugnat ignis corporeus, per quem etiam physicè, ut purgentur, Animæ transeant: dicitur autem *quasi per ignem*, non quia ille non sit verus ignis, (uti Joan. 1. 14. dicitur de Christo: *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre*, non quia non sit verè *Unigenitus*) sed quia Justorum Animæ ipso eodem modo, quo corpora, minimè comburuntur: metaphora igitur, si quæ sit, cadit super modum agendi ipsius ignis, non supra ipsum ignem.

96. Eodem pacto solvitur aliud argumentum, quo urgetur idipsum: Epulæ, Matrimonium, & Convivia, quibus dicuntur in Scripturis Beati frui, metaphorica sunt; ergò etiam ignis. Negatur quippe conseq. nam adest ratio, cur Beatorum Animæ nec epulis, nec conviviis, nec conjugiis carnalibus fruantur; quia nimirum, cum puri sint spiritus, & quidem sancti, escas carnales, & voluptates sensibiles ob carentiam instrumentorum vitalium gustare non possunt, ut autem Animæ spirituales ignem tortorem experiantur, nullo

opus est corporeo sensu, cum Deo modi non desint igne corporeo utendi ad animas torquendas, quin animæ comburantur, & redigantur in Cineres.

97. Obji. II. ex Patribus, Ambros. in cap. 14. Lucæ scribit: *Ergò neque corporalium aliquis stridor dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis.* August. lib. de cognit. veræ vitæ Cap. 40. & alibi nedum ignem incorporeum, sed ipsummet Infernum spiritualem esse existimat; ergò ex Patribus ignis Purgatorius non est physicus, & corporeus.

98. Resp. neg. conseq. Ambros. enim nihil habet simile loco cit. in object. sed solummodo dicit, Historiam epulonis plus habere narrationis, quam Parabolæ: non tamen negat, esse Historiam, aut parabolicè asserit esse intelligendam; Vult ergò tantummodo, stridorem dentium, aut vermes esse metaphoricè intelligendos, cum Animæ Defunctorum dentibus careant, nec ibi vermes viventes esse possunt, & tristitiam, invidiam, aliasque animi passiones non esse ignem illum, quo Animæ damnatæ aduruntur. Cæterùm Ambros. nobiscum expresè sentit in 2. Præcat. Præpar. Missæ, & serm. 67. Dom. 23. post Pentecos. ubi expresè ignis, flammarum, & veræ adustionis mentionem facit: August. verò, etsi interdum de hoc dubitaverit, atque in utramque partem Quæstionem versaverit, in sententiam nostram manifestè inclinat, ignemque illum verum, & proprium censet pluribus in locis, sed præcipuè Lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. inquit enim: *Aut verò gehenna illa, quod etiam stagnum illud ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut hominum, & Dæ-*

& Dæmonum, solida hominum, aërea Dæmonum, aut tantum corpora hominum cum Spiritibus, Dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utriusque erit ignis, sicut veritas dicit; ergò si Dæmones spiritus, juxta August., igne corporeo torqueri possunt, cur etiam Animæ corporibus exutæ purgari non possunt?

99. Obji. III. ratione: Impossibile est, ignem corporeum torquere animam spiritualem; corpus enim in spiritum nullam actionem habere potest: non quidem realem, quia ignis corporalis nullam proportionem habet cum Anima spirituali: non intentionalem, quia tunc superflueret ignis corporeus: tum quia res merè spiritualis torquere non potest rem merè corporalem; ergò nec res corporalis rem merè spiritualem, qualis est Anima rationalis; tum quia ignis corporeus nullum dolorem Animæ inferre potest, dicente August. lib. 14. de Civit. Dei cap. 15. quod dolor: *Est offensio ex Carne, & quædam ab ejus passione dissentio*: Anima autem rationalis carne destituitur; ergò ex igne dolorem percipere non potest.

100. Resp. ne. ant., & dico, corpus agere in spiritum posse, licet modum ignoremus, uti quoque nescimus, quo pacto Anima spiritualis corpus informet, & cum eo actiones proprias vitales exerceat, & dolorem sentiat, & passionibus corporeis agitetur. Dico tamen probabiliter, actionem ignis in Animam esse intentionalem, ad quam non superfluit, sed necessarius est ignis, ut Causa præsens in suum effectum influens: Neque mirum est, re purè spirituali corporalem tor-

queri non posse, cum sensu omnino careat, quo non caret res spiritualis relata ad corporalem. Idcircò autem dicit August., dolorem esse offensionem ex carne, & quamdam ab ejus passione dissentionem, quia loquebatur de dolore corporali, non autem intentionali, de quo est sermo in præsenti: vel si loquatur de vero dolore, id salvari, eo quia Anima rationalis vegetativam, & sensitivam continens, & unica radix sensationis ita afsici potest, ac si reipsa in corpore doleret; quo circa, si juxta Gregor. Mag. lib. 4. Dial. cap. 29. *Diabolus, ejusque Angeli cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si Animæ, & antequam recipiant corpora, possunt corporea sentire tormenta?*

CAPUT V.

Utrùm Defunctis prosint Vivorum suffragia?

101. SUperflua nequaquam disputatio hæc est dicenda, cum ex Orientalibus Sectariis minimè desint, qui, licet aliquo pacto Purgatorium admittant, adhuc tamen suffragia Defunctis denegant, ab Aerio vetustissimo Hæretico, eadem, apud Augustinum hæres. 53. irridente, edocti. Videndum nunc est, an fundamento aliquo nitantur?

SECTIO PRIMA

102. NOtandum est, Defunctos esse triplicis generis, Beatos, Damnatos, & Purgantes, quorum distinctionem agnovit August. Ench. Cap. 110. Non desunt ex Orientalibus Sectariis, qui, aut omnibus suffra-

suffragia denegant, aut omnibus concedunt, etiam Damnatis, apud Papadop. Prænot. Mystag. sect. 1., adversus quos cum Catholica Christi Ecclesia

Dicendum est, suffragia Defunctis purgatione indigentibus prodesse, non tamen Damnatis.

103. Prima pars ex Scripturis patet: nam 2. Machab. 12. 44. 45. 46. Cum Judas fecisset collectionem Eleemosynæ Jerosolymam mittendæ in suffragium Militum defunctorum, qui cum pietate dormitionem acceperant, ait: *Sancta ergò, & salubris est cogitatio prò Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*; ergò suffragia prosunt Defunctis in Domino, ideſt in Gratia dormientibus, non ad meram pompam, vel ad solatium Vivorum, ut Adversarii reponere solent, sed ad verum Defunctorum refrigerium, alioquin orare prò ipsis, ut à peccatis solvantur, non esset sanctum & salubre: & profecto magna illa Sanctorum Patriarcharum solicitudo, qua in terra Promissionis tumulari studebant, Gen. 45. 30., & 50. 24. quid aliud insinuat, nisi firmam eorum opinionem, & credulitatem, se apud alienigenas illis precibus, & suffragiis carituros, quorum apud suos fuissent facti participes?

104. Ex novo Testamento habetur, ex 1. Joan. 5. 16. *Qui scit Fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis:* Per peccatum ad mortem intelligunt Patres crimen finalis impœnitentiæ, in qua, si quis migrat è vivis, non vult Divus Joannes orari

prò eo, sed pro illis tantum, qui decedunt cum peccato, non ad mortem: si autem preces, & suffragia nihil mortuos juvarent, çquè posset orari pro decedente in peccato ad mortem, vel non ad mortem; ergò preces utiliter, & salubriter pro Animabus Defunctorum Fidelium funduntur. Videatur Bessarion. epist. 2. Encilc. Part. 4. Gennad. Demons.44. Concil. Florent.

SECTIO SECUNDA

Idipsum ex Ecclesiæ traditione, & Patrum sensu comprobatur.

105. A Carthaginen. III. cap. 29. sancitur: *Sacramenta Altaris, non nisi à jejunis hominibus celebrentur. Si autem aliquorum pomeridiano tempore Defunctorum commendatio facienda est &c.* Ubi supponitur Sacrificium Missæ pro Defunctis offerri. Idipsum habetur in Carthagin. IV. In Brachaten. I. Cap. 34. cavetur, ne pro illis fiat oratio, qui seipsos occidunt: Cap.verò 39. mandantur dividi inter Clericos oblationes factæ ut orent prò Defunctis: In Vormaticensi cap. 10., ubi præscribitur, etiam prò suspensis in patibulo orandum, & Sacrificium offerendum: In Concilio Rom. VI. sub Simmacho, in quo asseritur, esse Sacrilegium Animas Defunctorum orationibus fraudare. Hi sunt sensus Ecclesiæ Latinæ, qui ex invariabili Ecclesiæ traditione ex ipsiusmet exordiis, usque ad nostra tempora perducta posset evinci, apud Coccium, Bellarminum, Valentiam, aliosque Controversistas.

106. Idipsum Sanctissimi Ecclesiæ Orientalis

talis

talis Patres senserunt. Cyrillus Jerosolym. Cathec. Mystag. V. *Maximum*, inquit, *credentes esse Animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, & tremendi Sacrificii, pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt*. Chrysos. Hom. 69. ad Popul. *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis, Defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim, inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam*. Similia scribit Hom. 31. in prior. ad Corinth. Hom. 32. in Matth. & alibi passim. Magnus Athanas. Ecclesiæ totius lumen epist. 34. ad Antiochum, quærens, num Animæ peccatorum utilitatem è precibus, Sacrificiis &c. aliquam nanciscantur? respondet affirmativè; & reddit rationem, quia nimirum: *Nisi alicujus beneficii ex hoc participes essent, non equidem memoria ipsorum fieret in ipsa oblatione*. Plures aliæ authoritates Patrum videri possunt apud Bessar. epist. 2. Encil., & quidem ex Græcis ipsis desumptæ, ut Eutimii, Theophilati, & aliorum &c. ut mos ipse Græcorum etiam Schismaticorum ostendit, ritus omnes in mortuorum sepultura servantium, orationes, oblationes, eleemosynas, preces, officia, mortualia, & cætera, quæ ad Defunctorum levamen in Ecclesia fieri consueverunt.

SECTIO TERTIA

Eadem pars ratione ostenditur, & falsitas secundæ evincitur.

107. QUantum ad primam patet: nam Ecclesia est mysticum Corpus, in quo Christus est Caput, Fideles membra ex

1. Cor. 12. 12., ad Rom. 12. 5., & ad Ephes. 4. 4. quo circa, sicut in corpore naturali unum membrum alteri patienti subvenit, atque dolenti compatitur, ita contingit in mystico; Cum ergò Animæ purgantes sint membra corporis Ecclesiæ Fide, Spe, & Charitate Christo copulata, influxus Fidelium viventium Defunctis prodesse potest. Sicuti ergò preces viventium aliis viventibus prosunt, quare etiam mortuos juvare non possunt, auxilii spiritualis profectò capaces, nondum peccatorum solutione completâ? Quamvis enim aliquo pacto in termino videantur, cum ad Austrum pertineant, non verò ad Aquilonem; quia tamen adhuc à Domino peregrinantur, suffragiis vivorum juvari possunt, ut citius ad ultimatum terminum perveniant, & propterea, ut prò ipsis preces fundant, omnes hortatur Fideles Magnus August. lib. de cur. pro Mort. Cap. 8.

108. Secunda quoque pars asserti liquet apertissimè post explosum Origenem qui pœnas Damnatorum faciebat temporales. Nam Damnati, qui ultimum diem in peccato clauserunt, nullam prorsus spem salutis æternæ possunt habere; ergò suffragia pro his omninò sunt supervacanea: cessante enim fine, cessant media; hinc Ecclesia Hæreticis Schismaticis, iisque omnibus, qui supponuntur in læthali peccato decedere, omnia penitus suffragia denegat; alioquin inter Damnatos, & Purgantes nulla distinctio appareret, quod omnino apud eamdem absurdum censetur.

SECTIO QUARTA.

Solvuntur Objecta adversus primam partem.

109. OBji. I. Deus vult totam pœnam taxatam impleri in alia vita; ergò non dantur suffragia. Conseq. patet. Prob. ant., ex Matth. 5. 25. 28. 27. ubi dicitur: *Esto consentiens Adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te Adversarius Judici, & Judex tradat te Ministro, & in Carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Textus hic ab Expositoribus apud Cornelium Alapide in hunc locum intelligitur de Purgatorio, in quo Judex Deus Animas peccatis venialibus, aut mortalibus dimissis, sed non pœnitentiâ expurgatis, obnoxias tradet tortori severissimè puniendas; ergò suffragia non juvant, alioquin falsum esset, inde non exituras, nisi soluto novissimo quadrante, idest infimâ pœnâ.

110. Resp. dist. ant., nisi redimatur; conc. ant. si redimatur; neg. ant. Locus autem Scripturæ adductus nihil aliud vult, nisi Adversarium conveniri debere, dum vivimus nam, si mittamur in Carcerem, minimè exibimus, nisi soluto novissimo quadrante, aut à nobis, aut ab aliis, quod quidem verissimum est: at hoc nihil facit ad rem, cum non dicat Scriptura, solutionem ab aliis fieri non posse; sed solummodò exire numquam liberè, nisi præmissa solutione; Idcircò autem hortantur Scripturæ, ut, dum sumus in via, Adversario per nos satisfaciamus, quià incertum est, an pro nobis carcere inclusis alii sint satisfacturi.

111. Obji. II. Ad Gal. 6. 4. 5. habetur: *Opus autem suum probet unusquisque & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero; unusquisque enim onus suum portabit.* Et Psal. 61. 13. *Reddes unicuique juxta opera sua*: Admissis autem suffragiis, Defuncti non portarent onus suum, nec redderetur ipsis juxtà opera eorum eo quia pœnæ operibus mortuis debitæ per suffragia solverentur; ergò non dantur hujusmodi suffragia.

112. Resp. Conc. maj., & ne. min. ad probationem dico, Defunctos portare onus suum; tum quia debitum pœnæ contrahunt, cui, nisi per pœnitentiam, dum vivunt, satisfaciant, id rigidissimè in Purgatorio præstabunt: tum quia incertum est, an vivi sint prò ipsis, per suffragia satisfacturi, vel Deus in pœnam præteritæ neligentiæ satisfactionem recepturus: quapropter prudentissimè hortatur Apostolus, ut, dum vivimus, opera plura bona multiplicemus, & per nos ipsos debitis nostris satisfaciamus, aut saltem mereamur pro nobis satisfieri: quo pacto non in alios, sed in nos gloria redundabit.

113. Obji.III. Suffragia multoties frustrarentur, cum sit incertum, in quo statu Defuncti morientes decedant, & mortui Divites plura suffragia percipiunt, quàm pauperculi: tum quia torpor, & negligentia Fidelium foveretur, scientes, post mortem suffragiis juvandos, atque à pœnis eripiendos: utrumque autem ex his est inconveniens: ergò revera non dantur suffragia.

114. Resp. Ad futilem hanc Objectionem, quantum ad primum, neg. conseq. etsi enim ignotum nobis sit, in quo statu Defuncti versentur, certissimum tamen est, in gra-

tia

tiâ decedentes, nec adhuc perfectè purgatos, suffragiis indigere, quibus, si applicentur, prosunt. Secundum verò nihil ad rem facit: nam, etsi pauperes pauciora sortiantur suffragia, paucioribus quoque peccatis inquinantur, quibus gravantur Divites; & ideo pluribus quoque suffragiis indigent: pauperes verò si delinquant, ærumnis paupertatis mirificè, si patienter sustineantur, purgari solent; nec ipsis Dei misericordis auxilium deest: si enim, dum viverent, per bona opera meruerunt suffragiis adjuvari, juxta Doctrinam Sancti Gregorii Magni lib. 4. Dialog. cap. 34. utique illa mediis nobis ignotis obtinebunt. Nec propterea torpor, & negligentia foventur: nam incertum est, an post mortem Propinqui, & Amici sint suffragia ministraturi, qui plerumque, opibus obtentis, Defunctorum obliviscuntur: Fideles verò noverunt optimè, quàm districtè, ac rigidè Deus Omnipotens in peccata, etsi dimissa, animadvertat, & quam diversa sint ab humanis Divina judicia, qualeque meritum, & gloriam, omissis bonis operibus, & voluntariâ pœnitentiâ, in Cœlis amittant.

115. Obji. IV. Opera, in quibus fundantur suffragia, obtinent præmium, non solum ad æqualitatem, sed etiam superabundanter, ad Rom. 8. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; ergò nequeunt esse pro aliis satisfactoria; idem enim opus nequit habere duplex præmium, & duplicem Justitiæ titulum.

116. Resp. neg. conseq. ad probat. dico, in opere pœnali duo posse considerari, juxta Divum Bonaven. 4. Dist. 20. Part. 2. Quæst. 1. nempe rationem meritorii in Charitate, & ex

Charitate procedentem, & rationem pœnæ. Juxta primam opus habet dignitatem meriti, præmiumque sibi correspondens. Secunda dicit solummodo debiti solutionem proprii, vel alieni; unde non sequitur dari duplex præmium, vel duplicem solutionem in eodem genere, nec duplicem eodem modo dari titulum Justitiæ.

117. Obji. Ult. Defuncti in Purgatorio viventes non sunt membra militantis Ecclesiæ cum sint in termino, & extra statum pugnæ, ergò istis suffragia non prosunt: influxus enim unius membri cum altero debet esse inter membra ejusdem corporis, & cum capite unita, & propterea nec jus habent in Thesaurum Ecclesiæ, quæ nullam super ipsos jurisdictionem habet.

118. Ob eamdem rationem pro Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, & Cathecumenis defunctis preces, & suffragia non fiunt, quia non sunt de corpore militantis Ecclesiæ, nisi fortasse ad conversionem; ergò etiam ob eamdem fieri non debent suffragia pro Defunctis fidelibus.

119. Resp. conc. ant., & neg. conseq. ad probat. dico, influxum suffragiorum in Animas purgantes esse purè solutivum pœnæ temporalis restantis, non autem communicativum alicujus boni, quod ejusdem corporis membris sit communicandum: non implicat autem fieri solutionem debiti pro aliquo sub ditione alterius Principis detento: civis enim Romanus solvere potest debita civis alterius sub potestate Imperatoris Turcarum, vel alterius Principis detenti, cum hoc jurisdictionem nullam dicat, sed meram debiti solutionem. Applicatio autem Indulgentiarum,

quæ

quæ à Fidelibus sumuntur, fit quidem à supremo Ecclesiæ Jerarcha, non per modum jurisdictionis super Defunctos, sed meræ solutionis ex Ecclesiæ thesauris.

120. Idcircò autem Ecclesia preces non fundit pro Defunctis Infidelibus, Hæreticis, Schismaticis, aut Excommunicatis, qui in excommunicatione sorduerunt, quia supponit eos in peccato decessisse; si tamen constaret, fuisse ante mortem conversos, & Ecclesiæ, quantum in ipsis erat, satisfecisse, falsum est, Ecclesiam pro ipsis suffragia Deo non offerre. Idipsum de Cathecumenis dicendum est, quos si certò constaret, in Domino objisse; precibus, & suffragiis adjuvare liceret, non quidem publicè, ob præsumptionem oppositam, sed privatim eo modo, quo pro Valentiniano secundo Cathecumeno D. Ambrosius orabat orat. fun. ejus, & insinuat Chrysos. Hom. 13. in epist. ad Philip.

SECTIO QUINTA

Diluuntur objecta contra secundam partem.

121. OBji. I. Illi, pro quibus Judas Machabæus 2. Machab. 12. 43. jussit offerri Drachmas in Sacrificium, erant Damnati; ergò suffragia etiam Damnatos juvant. Conseq. patet; Prob. ant. nam milites illi in peccato Idololatriæ diem ultimum clauserunt, inventi quippe sunt cum donariis Idolorum, quod Idololatriæ sapit professionem, & propterea in Lege vetitum.

122. Resp. neg. ant. loquendo de certa apud nos damnatione; ad cujus prob. ne. ant.

& con-

& conseq. probationis, nam aliud est deprehendi in peccato, aliud est mori in peccato. Qui revera in peccato moriuntur, cum affectu actuali, aut saltem virtuali, utique sunt verè Damnati. Qui verò in peccato deprehenduntur, interdum de peccatis, aut ante, aut in ipso mortis articulo dolere possunt, prout ad salutem necessarium est, & proinde salvari, quorum plura in Historiis leguntur exempla; hinc Sap.3.1.2.3. habetur: *Justorum Animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Quoniam verò hoc incertissimum est, cum signa sint valde fallacia, hinc, quia militat opposita præsumptio, prò hujusmodi peccatoribus Ecclesia non orat, ex Nicolao I. cap.23.& 29.quæst.5.cap. *Placuit*. Milites autem illi hoc modo censentur mortui; aut enim peccati doluerunt; vel saltem ignoratur, an in mortali decesserint; idcircò oratio illa cadebat non super certò Damnatos, sed super probabiliter salvos, utpotè fideles: quare potius argumentum est ad oppositum, cum Judas orari præceperit pro iis, qui cum pietate dormitionem acceperant, utpotè probabiliter salvis; igitur prò Defunctis in pietate suffragia admittebat.

123. Obji.II. ex Pectorato: August. Enchirid. cap.110. inquit: *Quibus prosunt suffragia, vel ad hoc prosunt, ut plena fiat remissio, aut tolerabilior sit ipsa damnatio*. Similia dicit cap. 112. ergò suffragia juvare possunt etiam Damnatos.

124. Confirm. pluribus exemplis: Nam ex Damasc. orat. de mort. precibus S. Teclæ Anima Falconillæ fœminæ; & orationibus Sancti Gregorii Magn. Anima Trajani Impe-

rat.

rat. è faucibus Inferorum ereptæ fuerunt, quod posterius revelatum S. Birgittæ lib.4. cap.121. asseritur; & de Anima Theophili Imperatoris Iconomac. damnata, ac deinde salvata refert Gennad. Schol. Demonst.3. super Floren. sec.5. ergò preces Vivorum juvant etiam Damnatos.

125. Resp. neg. conseq. August. enim, qui eo loco agit de iis, qui temporaneas pœnas luunt, in Purgatorio detenti, per ly *Damnationem* minimè intelligit veram, & ultimam damnationem, sed loco congruentem, idest temporalem: per suffragia enim interdum pœnæ omnes remittuntur, si sufficientia sint, & adæquata, aliquando verò minuuntur, eo quia valor suffragiorum pro extinctione debitorum nequaquam sufficit: tunc autem deserviunt, ut tolerabilior sit ipsa damnatio, idest pœnæ, quæ supersunt sustinendæ, eò quia mitigentur, tolerabiliores evadant: & propterea idemmet August. Lib. de cura pro mortuis asserit, generalia Ecclesiæ suffragia pro iis præcipuè deservire, qui peculiaribus destituuntur.

126. Ad Confirm. dico, omnia illa exempla esse fictitia, vel saltem omninò incerta. Quantum enim ad Animam Trajani, oratio pro Defunctis Damasceni, in qua refertur, ab Eruditis commentitia censetur; alioquin Sanctus ille sibi contradiceret, Lib.2. de Fide cap.4. asserens, Damnatis nullam spem salutis superesse, idemque esse Hominibus mortem, quam Angelis casum, & ob alia absurda ibi contenta; ac propterea fuit quoque Historia Falconillæ in eadem oratione relata. Gregorii authoritas in nullo Authore Latino reperitur, neque in scriniis Ecclesiæ Romanæ,

sed

ſed ſolummodo in Eccleſiâ quadam Anglorum inventa fuit. Petrus verò Diaconus eam referens Hiſtoriam non eſt ille, qui D.Gregorio erat à ſecretis, ſed alter valdè ſuſpectus ob abſurda, & inveriſimilia, quæ ibidem ſcribit, & ipſimet Gregorio Magno repugnantia, Lib.34. moral. cap.13. aſſerenti, pro Infidelibus orari non poſſe, qualis profectò erat Trajanus. Revelationes verò Sanctæ Birgittæ ſuas patiuntur difficultates, & quantum ad hoc aliis Sanctæ Matildis opponuntur, & proindè cum ſint contrariæ, fidem certam nequaquam mererentur, ut optimè Baron. ad An. Chriſti 604. Quantum verò ad Theophilum attinet, ſuſtinendo, eum eſſe ſalvum, dicendum eſt, in mortis articulo criminum ſuorum pœnituiſſe, errores ſuos damnaſſe, & veluti fidelem dies ſuos clauſiſſe, pro quo veluti ſalvo, non damnato orationes fiebant.

127. Obji. III. Eccleſiæ, & Juſtorum preces Peccatoribus viventibus proſunt: hinc Die Paraſceves pro omnibus, etiam Infidelibus oratur; ergò etiam proſunt eiſdem Defunctis: nam æquè extra Eccleſiam ſunt Infideles viventes, ac Defuncti; tum quia Eccleſia orat pro Beatis, ut augmentum aliquod gloriæ adipiſcantur; ergò etiam preces Eccleſiæ prodeſſe poſſunt Defunctis pro diminutione aliqua pœnæ.

128. Reſp. Cum D.Thoma Diſt.45.queſt.2. neg. conſeq. eo quia Damnati ſunt in termino ultimato, à quo reſilire non poſſunt: Viventes autem, cum adhuc ſint in via, converti ad Deum poſſunt, & vitam æternam adipiſci, & ideò pro damnatis peccatoribus orari non poteſt, benè verò prò viventibus adhuc in agone militantibus. Pro Beatis autem

tem

tera non orat Ecclesia; sed pro obtenta ab ipsis Beatitudine, vel ut gloria ipsorum apud nos magis elucescat: injuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre, juxta August. serm. 17. de Verb. Apos. vel si concedatur, impetrari precibus gloria accidentalis aliqua Beatis, non inde infertur impetrari posse veniam aliquam Damnatis, cum illi sint amici, & hæredes, isti hostes, & rebelles.

SECTIO SEXTA

Solvuntur nonnullæ Quæstiunculæ.

129. INquires I. An detur locus proprius, communis, & determinatus, in quo Animæ pœnis exerceantur usque ad completum Purgatorii tempus?

130. Resp. Quamvis Deus locis non alligetur, & extra locum determinatum Animas purgare possit, uti de nonnullis produnt Historiæ apud Gregor. Mag. lib. 4. Dial. cap. 4., dari tamen locum determinatum purgationi Animarum, uti Græci ipsi in Floren. sess. 1. admiserunt: sicuti enim datur locus proprius pro Animabus Beatis, & alter pro Damnatis, cur non dabitur pro illis qui peccata sua purgare debent, & quidem in profundo terræ specu? Nam si Animæ Justorum, quæ ante Christum decesserunt, etsi maculis purgatæ, adhuc tamen in profundo specu detinebantur, cur in profundo loco non claudentur Animæ maculas suas absterfuræ? Hinc August. lib. 2. Retrac. c. 24. in fine revocat id, quod lib. 12. de Genes. ad lit. dixerat, nempe in Inferis Animas non posse detineri, inquit enim: *De Inferis magis mihi videor docere debuisse, quod*

sub

sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, quasi non sint?

131. Quæres II. Quænam, & qualis sit Purgatorii pœna?

132. Resp. præter pœnam damni, nempe Visionis Dei privationem, Animas illas mirificè, & summè excruciantem, dari quoque pœnam sensus conversioni ad creaturas respondentem, quibus inordinatè fruebantur, & tortorem præcipuum esse ignem, miris quidem & veris modis easdem affligentem, ex August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. Alias quoque pœnas ibidem reperiri, docet S. Bonaventura 4. sent. Dist. 21. Part. 3. Quæst. 1., sicuti in Cœlo pluribus voluptatibus gaudent Beati, præter Visionem Dei intuitivam, uti habetur Psal. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

133. Circa verò gravitatem communis est Doct. ex D. Thom. 4. dist. 20. Quæst. 1. art. 2. Purgatorii pœnas acerbitate quascumque hujus vitæ longissimè superare, quod quidem Patres confirmant, ut August. de vera, & falsa pœnit. cap. 18. relat. dist. 15. cap. penul., & Dist. 7. de Pœnit. cap. 7. Bernard. de obitu Umberti, & alii, cum Deus ibi sit vindex, instrumentum ignis acerrimus, diverticulum nullum, & quidem secundum gravitatem culparum, juxta præfatum Seraphicum Doctorem 4. Dist. 2. Part. 1. Quæst. 2. ex Deuter. 25. 2. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*; Eo enim intensior pœna exigitur, Justitia præscribente, quò major fuit in peccante cupiditas, & delectatio.

134. Quæres III. Quænam sit pœnarum Purgatorii duratio?

135. Resp.

135. Resp. rejecta eorum opinione, qui purgationis tempus ad decennium restringunt: cum praxis Ecclesiæ oppositum doceat, suffragia pro Defunctis ad plures decennio annos protrahentis; & eorum quoque, qui ad diem Judicii purgationem extendunt; ex Bulla *Benedictus* Benedicti XII., diuturnitatem pœnarum ex majori, vel minori peccatorum multitudine juxta rectissimum Dei Judicium protrahi: Justitia enim præscribit, culpas aut diuturnitate, aut multitudine, aut gravitate notabiliores, diuturniori quoque pœna plecti oportere. Hinc Primitiva Ecclesia peccatis gravitate, aut multitudine enormioribus, prolixiorem quoque pœnitentiam imponebat, ut ex vetustissimorum Conciliorum Elibertini, Neocesariensis, Ancyrani I., Arelatensis I., & II. Canonibus liquido apparet; ergò multò fortiùs in Purgatorio Deus, qui omnia in pondere, & mensura dijudicat, prolixiori pœnâ reatus majores coercebit, ut optimè Nissen. lib. de Anim. & Resur.. An verò nonnullæ Animæ usque ad diem Judicii in Purgatorio detineantur, res est incerta, non tamen improbabilis, ex Beda lib. 5. Hist. Anglic. c. 13. Ii verò qui tempore extremi Judicii morientur, & statim resurgent, purgatione tamen indigentes, ex D. Thom. 4. dist. 47. art. 4. ad 5. igne comburentur, & occidentur, & sic purgabuntur, & Dei Misericordiam experientur, ex August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 24.

136. Quæres IV. Utrum Animæ illæ Sanctæ certæ sint salutis æternæ possintque prò nobis orare, ac beneficia impartiri?

137. Resp. Ad Primum, Animas illas esse de sua salute certissimas, cum in instanti mortis sciant se judicatas, nec in Inferno se cogno-

gnoſcant degere, Deumque ſuper omnia propter ſe diligant, ac ſperent Beatitudinem; damnatæ verò experientia ipſa damnationem ſuam cognoſcunt, in quo quidem neutræ decipi poſſunt, non amplius in Mundo peregrinantes.

138. Quantum ad ſecundum regulariter loquendo Animæ illæ non orant pro nobis, niſi in genere, neque vi precum ſuarum videntur nobis beneficia impendi, cum neſciant, quid in Mundo fiat: Eccleſ. 9. 5. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum.* Hinc Eccleſia Defunctos purgantes nequaquam invocat, ut pro nobis ad Deum intercedant. Cæterum, quia Fidelium ſenſus, experientia ipſa docente, tenet ex Animabus illis magna in ſuffragatores beneficia redundare, dici poteſt, Deum ipſis revelare ſuorum, aut ſupplicantium deſideria, eorumque ſuffragia pro ipſis exhibita, atque pro ipſis fundere preces ad Deum, qui ob merita præcedentia Mortuorum, aut ob Charitatem, qua Defunctos Vivi juvant, beneficia magna confert, ex 2. Machab. 15. 18. & propterea dicitur Deus placatus orationibus Sanctorum veteris Teſtamenti Exod. 32. 13. Idipſum in Eccleſia Chriſti legimus apud Gregor. Magn. lib. 4. Dialog. cap. 4. & ibi nonnulla leguntur exempla.

139. Quæres V. An ſuffragia proſint æqualiter omnibus Defunctis, vel potiùs iis, pro quibus ſpecialiter offeruntur, & quo pacto id contingat?

140. Reſp. Ad primum, ſuffragia pro aliquo particulari oblata juvare ſpecialiter illum, pro quo offeruntur, eo quia preces ſunt ſolutiones pretii, quod à Defuncto perſolvi deberet;

beret; ergò suffragium pro uno, alterum secundum se non juvat; hinc Ecclesia ex D. Thom. 4. Dist. 45. Quæst. 2. art. 4. in corpore unam Missam pro uno non pro pluribus applicat, & stipendium unius Missæ non extenditur ad alteram: Sacrificium enim, etsi ratione rei oblatæ sit infinitum, non tamen oblationis, & Sacrificii in actione finita consistentis, & finitum valorem habentis, ex Doct. Subtil. Quod lib. 20. ob quam rationem Missa, cæteraque suffragia non æquè omnibus prosunt, sed datâ proportione. Indirectè tamen juvant plures, ut idem Sanctus Doct. advertit; quia Animæ illæ Charitate præditæ Amici suffragium recipientis commodo gaudent, uti proprio, quod quidem intelligi nequit, absque aliqua pœnæ minutione, juxta mensuram Charitatis, qua pollent, & gaudent Proximi prosperitate.

141. Ad secundum, quo pacto id contingat ex Justitia nimirum, vel ex Misericordia?

142. Resp. Si Deus acceptare dignetur opera nostra, quæ, præcisâ ejusdem acceptatione, nullam cum debito pœnæ, aut Vitæ æternæ præmio proportionem habent, tamquam si æqualem haberent mensuram, hoc utique Misericordiæ opus est: potuisset enim Deus pœnæ solutionem exigere absque ulla prorsus aliena, vel propria compensatione. Si verò dicatur Deus velle acceptare opera aliàs incongrua pro satisfactione per Christi merita juxta proportionem dati, & accepti, hoc utique erit opus Justitiæ, quia satisfit juxta mensuram, qua debita propria ab ipsomet Defuncto solverentur. Quo quidem pactò vita quoque æterna, stante Dei institutione, Justitiæ, & Fidelitati respondet. 2. ad Timoth. 4. ac simul ad Titum 3. 11. dum dicitur: *Non ex operibus Justitiæ*;

stitiæ; quæ fecimus nos, sed secundum suam Misericordiam salvos nos fecit.

143. Quæres VI. An Purgatorium, & Sinus Abrahæ, ac Lymbus Parvulorum post extremi Judicii diem diruendi sint, solo Barathro remanente?

144. Resp. Nihil de hoc certi haberi, attàmen nullam cogere necessitatem, ut diruantur, cum sint Barathro contermini, & eamdem Abyssum posse integrare. Lymbus verò puerorum ob aliam rationem manere debet immotus, ut ibi parvuli detineantur, qui sine lavacro Baptismi decesserunt: nam ipsos in profundiori claudendos abysso, nimis durum videtur nullius personalis criminis reos; eos ad gaudia Paradisi, vel aliqua in orbe hoc delitiarum receptacula transmittere, Pelagianum est; superest igitur, ut in Lymbo collocentur, nec pœnis obnoxii, nec voluptatibus mancipati.

145. Quæres Ult. An in Purgatorio Animæ illæ à Dæmonibus torqueantur?

146. Resp. Nihil de hoc certi haberi: Nonnullis videtur incongruum, Animas Christi Sponsas à Christi hostibus infensissimis veluti Dei Ministris torqueri. Hoc quidem impossibile nequaquam est; at neque improbabilitatis damnandi sunt tenentes affirmativam sententiam: Sicut enim Christus ipse à Dæmonibus nedum tentatus, sed vexatus fuit, atque in Montem sublatus, non apparet ratio, cur Animæ in Purgatorio à Dæmonibus torqueri non possint, cum Homines, qui Dei Templum sunt, ab iisdem interdum severissimè crucientur, ut videmus in Energumenis. Nec est novum, Homines Dei amicos per inimicos purgari, atque exerceri, ut

opti-

optimè August. in Psal. 54. *Ne putetis, gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de ipsis agere Deum. Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur.*



TRA.

TRACTATUS V.

De Traductione Animarum, earumque per Peccatum corruptione.

1. ARmenorum Natio bellica virtute, ac splendore Catholicæ Religionis celeberrima, nunc Persarum subdita Imperio multis inquinatur erroribus, præcipuè verò circa productionem, atque corruptionem Animarum per originale, atque actuale peccatum. Horum nonnullos in hoc Tractatu, quantum Deus dederit, ut eorumdem consulamus æternæ saluti, perstringemus.

CAPUT PRIMUM

Utrum Animæ rationales ex Traduce producantur?

2. ABstrusa valdè Divo Augustino visa est Animarum productio lib. de orig. Animæ: idcircò plures de ipsa errores prodierunt. Manichæi enim, Gnostici, & Priscillianistæ in Bracharensi primo damnati, asseruerunt, Animam rationalem esse partem Divinæ substantiæ, apud August. lib. 2. de mor. Manich. cap. 11. Origenes censuit, eas à Mundi exordio fuisse conditas, & quia peccarunt, in corporibus, veluti carceribus, inclusas, ex Epiph. ad Joan. Jerosol. Episcop. Melchitanus, & Vartanus Armenorum Magistri docuerunt ex Tertull. & Luciferianis haurientes, apud August. hær. 81. & Hieronymum

nymum ad Marcel. Angéruch. epist.82. Animas quidem de novo, sed ex traduce, non autem creatione produci, multasque alias ineptias addiderunt. Hic præ cæteris duo Articuli sunt examinandi. I. Utrum Animæ rationales ex traduce producantur? II. An ante corpus?

SECTIO PRIMA.

3. NOtandum est, Armenos nobiscum convenire, Animam rationalem esse incorpoream, & immortalem, cæteras verò, Brutorum scilicet, & Animantium, materiales esse: utrasque tamen etiam rationalem pro subjecto informationis corpus Organicum habere via seminali productum. Solummodo in controversiam vocatur, utrum, sicut corpus, ita quoque Anima rationalis vi seminis propagetur? Non quod Anima rationalis semen decidat; sed quia ab ipsamet relinquitur in semine virtus, qua dependenter à corpore organico alia Anima producatur; eo modo, quo dicit August. epist. 157. ad Optatum Melevit. Episcop. de uno lumine aliud fieri absque alterius diminutione. His positis.

Dicendum est, Animas rationales non ex traduce, sed Creatione produci.

4. Patet ex Divinis Scripturis: Nam Genes.2. 7. habetur productio Animæ Hominis per verba Creationem insinuantia, inquit enim: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*: corpus verò aliis verbis dicitur Deus efformasse, nempe *de limo terræ*, sicut etiam Animas aliorum viventium, additur quippe;

Producat terra Animam viventem in genere suo, jumenta, reptilia, & bestias terræ; ergò, cum ex terra animæ aliorum viventium productæ sint, Anima verò Hominis per inspirationem Dei, non ex traduce Anima Hominis producitur, sed per creationem, cum ad exemplar primæ creationis ceteræ Animæ producantur.

5. Item Ecclesiast. 12.7. dicitur: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Hic fit antithesis spiritus ad Deum Authorem suum revertentis, & corporis ad cineres, unde traxit originem: hoc autem esset falsum si Spiritus esset ex traduce, cum unicè terram agnoscere deberet, unde ortus est; igitur non ex traduce, sed ex creatione. Nec verba illa de prima creatione intelligi possunt, cum Salomon ibi hortetur adolescentes, ut opera bona multiplicent, nec Dei obliviscantur, & postea subdat: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erant*, quæ hortatio esset inutilis, si Animæ omnes, etiam post Adamum productæ, ex traduce, non ex creatione prodirent.

6. Denique in Scripturis Deus appellatur Pater spirituum, sicut Parentes Carnales corporum Patres, præcipuè ad Hæb. 12. 9. admisso autem traduce Animarum, Patres Carnales non minus Animæ, quam Corporis essent genitores; ergò ad salvandam contrapositionem Patris Spirituum à Corporum Patre, Patres Carnales nullum habent influxum in productionem Animarum; adeoque creantur: hic enim tam Corporum, quam Animarum physica, non moralis productio commemoratur, ut patet ex Textu.

SE-

SECTIO SECUNDA

Idipſum ex Patribus oſtenditur.

7. PAtres quoque ſententiæ noſtræ appertiſſimè ſuffragantur. Athanaſ. in queſt. de mente, & Anima, cum multa de ipſius natura dixiſſet, ſubdit: *Quapropter Anima quoque ductu intellectus imaginatur ſuperna, & quæ illic ſunt, quærit, & appetitu deſiderat, quoniam illinc habet creationem ſuam.* Chryſoſ. de Incomprehen. Dei Nat. Hom. 33. in cap. 19. Matth. *Anima nec generat, nec generatur, & nullum cognoſcit Patrem, niſi eum, cujus voluntate creata eſt, nullam cognoſcit matrem, niſi Eccleſiam, quæ illam regeneravit in fide.* Damaſcen. lib. 4. de Fid. Orthod. cum Animæ Dotes, & naturam explicaſſet, ait: *Atque hæc omnia Creatoris beneficio, & gratia ſecundum Naturam conſecuta, à quo nimirum, & quod eſt, & quod hæc natura eſt, accepit.* Similia docent Cyril. Alexand. lib. 1. in Joan. Cap. 9. Nazian. Carm. de Anima. Niſſen. de Opif. Hom. Cap. 6. ubi errorem hunc ex profeſſo evertit. Leo Magn. Epiſt. ad Turib. Ambroſ. de Parad. Cap. 11. Auguſt. de Gen. ad lit Cap. 8. Hieronym. Epiſt. 61. & alii plures; igitur ex ſenſu Patrum Anima creatur, non verò ex traduce producitur.

SECTIO TERTIA

Evincitur idipſum ratione.

8. ANima, etiam ſecundum Adverſarios, eſt incorporea, indiviſibilis, & immortalis; igitur non fit ex traduce, à quo ſi

suum esse acciperet, corrumpi posset, & destrui, ut in animabus Brutorum animadvertimus, & cæteris formis materialibus à semine pendentibus.

9. Nec dici potest, Animam Filii ab ipsamet Parentis Anima purgari, sicut lumen à lumine: nam, vel nulla prorsus præsupponitur materia *ex qua*; quo casu Anima verè ab altera Anima crearetur, quod absurdissimum est: vel præsupponitur; & tunc redit argumentum, etiam si materia, ex qua fieret Anima Filii, esset spiritualis, nam hoc non tolleret veram Animæ à subjecto dependentiam, ut in accidenti spirituali animadvertimus.

10. Deinde nequit intelligi, quomodo Anima Parentis concurrat ad productionem Animæ filii: si enim communicat Animæ filii suum esse, nihil omnino de proprio amittendo, jam creat; si verò aliquid sui communicat, Anima Patris non est incorporea, & indivisibilis.

11. Tandem Anima spiritualis, & immortalis, est ad quodcumque materiale, & corporeum ordine superior; ergò productio Animæ in quocumque genere sivè efficientis, sivè alterius Causæ in virture agentis corporei, sivè per viam seminalem, sive aliam contineri nequaquam potest; ergò necessario per Creationem producitur uti optimè convincit Ugo à Sancto Vict. lib. 1. de Sacram. Par. 7. cap. 30. D. Bonaven. 2. dist. 18. quæst. 3. D. Thom. 1. Par. quæst. 118. art. 2., & alibi aliique Scholastici communiter.

SECTIO QUARTA

Dicendum est II. Animas rationales non fuisse in Orbis exordio simul creatas, sed successive produci.

12. Ostenditur I. ex Scripturis: Nam Anima Adæ, cujus creatio cæterarum exemplar est, non ante ipsius corpus, sed post ejusdem formationem fuit infusa, ut patet Gen. 2. 7. ergò etiam idipsum in cæteris contingit. Idem habetur Zachar. 12. 1. *Dicit Dominus extendens Cœlum; & fundans terram, & fingens spiritum Hominis in eo.* Psal. 32. 15. *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*; ergò si Deus Animas condit, per spiritus in Sacris Scripturis significatas, non fuerunt omnes ab initio conditæ, & creatæ. Ly enim *Fingere*, quo Sacer Textus utitur, omnimodam, & novam productionem, atque infusionem indicat, sumpta ex Figulo, qui vasa de novo fabricatur, aptâ similitudine: Hinc optimè Hieronymus adversus errores Joannis Jerosolymitani Cap. 6. super Psal. 32. Qui *finxit &c. Quotidie Deus fabricatur Animas, cujus velle fecisse est, & conditor esse non cessat.*

13. Patres quoque consentiunt; Athanas. enim Trac. de fin. Ubi, quid sit unitas, inquirit: *Corpus*, inquit, *per se consistere non potest, nec Anima subsistit ante corpus.* Chrysost. Hom. 13. exponens illud Genes. 2. *Formavit igitur Dominus Deus &c.* ait: *In hac Hominis formatione priùs corpus producitur, & postea Anima, quæ dignior*: Nazianz. Orat. 31. de hujusmodi opinione asserit: *Hoc existimare*

mare nimis stultum, & absurdum est, atque ab Ecclesiastica Fide, & doctrina alienum. Similia docet Nissenus de Homin. Opif. Cap. 28., & 29. Theodoret. epist. Divin. Decret. Cap. de Hom. Leo Magn., quem tanti facit Synodus Chalcedonensis, ut ore ejus Petrum locutum asseruerit, epist. 13. ad Turib. cap. 10. *Catholica*, inquit, *Fides constanter prædicat, atque veraciter confitetur, quod Animæ Hominum, priusquam suis inspirentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur, nisi ab opifice Deo*. Quibus verbis duplex error excinditur, nempe Animas ante corpora extitisse, nec à solo Deo creari.

14. Ecclesiæ quoque Universalis non deest authoritas; Synodus enim quinta Oecumenica Cap. 1. errorem hunc damnat, dum ait, *Si quis dicit, aut sentit, præexistere Hominum Animas, utpote quæ ante mentes fuerint &c. Anathema sit*. Quo fulmine percutit quoque Cap. 2. & 3. Asserentes, Animam Christi, antequam Verbo uniretur, extitisse; ergò ex Doctrina Ecclesiæ, & Patrum, Animæ rationales, antequam Corpori uniantur, nequaquam existunt.

15. Nec desunt rationes idipsum suadentes. I. quia ex Lateran. V. sub Leone X. sess. 8. & Vienen. sub Clem. V. Anima rationalis est forma per se nata Corpus Organicum informare, & cum eo Hominem constituere, cujus est essentialis, & ultima perfectio; ergò, sicuti, quia materia est perfectibilis, inconveniens est, ipsam manere diu sine suo perfectivo, ita inconveniens est, perfectivum diù manere sine suo perfectibili, quale corpus censetur respectu Animæ rationalis.

16. II. Quia, ut optime Doct. Subtil. 2. dist.

dist. 17. Quæst. 1. ubi eumdem profligat errorem, si Animæ corpora longè præcessissent, actus voluntatis, & intellectus, quibus fuissent praditæ, exercuissent, sive malos, sive bonos moraliter, non enim mansissent otiosæ: hoc autem falsum est, dicente Apostolo de Jacob, & Esau ad Rom. 11. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, & experientia ipsâ compertum est, nos eorum, quæ priusquam nasceremur, voluimus, aut cogitavimus, nullam, vel minimam reminiscentiam habere, quod sanè videtur incredibile, si revera ante corpus Anima præcessisset.

17. III. Si Animæ ante corpora præcessissent, & peccassent, aut bona opera egissent, datâ hujusmodi Hypothesi, nec prœmium, nec pœnam haberent, quod videtur absurdum: patet autem id sequi: nam pœna, & prœmium dantur solummodo Animabus, quæ cum corporibus mala, vel bona egerunt, & Matth. 25. ubi Electi ad dexteram, quia recta gesserunt, dum in corpore versabantur, Reprobi ad sinistram, quia prava opera fecerunt, collocantur, & congruam, vocationis ad gloriam, vel relegationis ad gehennam, retributionem consequuntur, juxta illud Apost. 2. ad Corinth. 5. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum*; igitur Animæ ante corpora non extiterunt.

18. Tandem Animæ istæ aut facerent naturas omnino perfectas; quo casu essent supposita perfecta sicut Angeli, & sic corpora informare non possent; essentque sicut Angeli, pro quibus Christus Redemptor minimè

mortuus est, & corporis ab ipsis assumpti essent formæ assistentes, non informantes; aut imperfectas, & partiales: tunc autem Animæ illæ peccando prœmium obtinuissent: unitæ enim corporibus faciunt unum per se, vitalesque actiones exercent. Tum quia, ut rectè Seraphicus notat Bona. 2. dist. 28. quæst. 2. in corpore, nulla Anima determinatè existens determinatum sibi corpus exigeret, sed vagum: hoc autem Pitagoricam transmigrationem induceret, rationi naturali, Fideique, Orthodoxæ repugnantem; ergò opinio hęc non est sustinenda, à Patribus Sanctis damnata, ut Clem. Alex. lib. 4. Strom. Cyril. Alexand. lib. 1. in Joan. Cap. 9. Epiph. de Hæres. lib. 2. hæres. 64. Basil. Mag. super illud: *In principio erat Verbum*. Athan. in serm. de vita Beati Antonii, & aliis quampluribus.

SECTIO QUINTA

Eliduntur argumenta adversus primam Partem.

19. OBji. I. Omnia viventia non rationalia producuntur per traducem, etiam secundum animam, ex Gen. 1. 22. ergò etiam viventia rationalia: nam de ipsis quoque diciiur eodem capite 1. 28. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Hinc Genes. 2. in formatione Evæ non dicitur, in ejus faciem vitæ spiraculum fuisse effusum, sicut nec in Filios Adæ: hinc in Scripturis Animæ dicuntur in fæmore Parentum contineri, ex Gen. 46. 26. hinc ad Ephes. 2. 3. *Eramus natura filii iræ*, nam secundum Carnem non sumus filii iræ, sed juxta Animam, quæ peccare

care poteſt; ergò naſcimur filii iræ ſecundum Animam per propagationem; ergò ex traduce.

20. Reſp. neg. conſeq. ad probat. paritas negatur, nam, licet etiam prò Hominum propagatione dicatur in Scriptura: *Creſcite, & multiplicamini*, hoc tamen habetur juxta primam productionem, in qua Deus ſpiravit ſpiraculum vitæ, quæ eſt cæterarum exemplar, eamque ſibi reſervaſſe videtur, cum ait: *Faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus Cœli*, quod ſanè non legitur de aliis productionibus, in quibus dicitur ſolummodo: *Creſcite; & multiplicamini* eo modò, quo condita ſunt, ac propterea optimè colligitur Animæ rationales ex nihilo creatio, non verò Animæ Brutorum. Quod verò nihil ſpeciale de Anima Evæ ſcribatur, parum officit, cum ſufficienter in illis verbis contineatur: *Faciamus Hominem &c.* & propterea dicitur v. 27. *Creavit Deus Hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum, & fœminam creavit eos*, & ideò in poſterioribus Filiorum productionibus minime opus fuit de Animæ creatione mentionem facere, quia ſufficienter jam in formatione Adæ, & Evę, tamquam in Generis humani primoribus, præſtitum fuerat.

21. Idcircò autem dicuntur Animæ in fæmore Parentum contineri; non quia ipſi ſint Animæ conditores; ſed quia, per traducem producto corpore perfectè orgonizato, juxta ſtatutam à Mundi exordio Dei legem, infunditur Anima rationalis, ex qua, & corpore unitis integer Homo per ſe ſubſiſtens emergit, ut optimè Cyril. Alexand. in Joan. Cap. 9. facta de Divinitate ad Chriſtum, & Anima ra-

tionali ad Hominem paritate, quatenus scilicet, sicut, etsi Divinitas non producitur, quia tamen producitur Humanitas, cui Divinitas unitur, B. V. M. generans Humanitatem, dicitur Deum generare, ita etiam, quia Homo corpus organicum producit, etsi Animam minimè præbeat creatione conditam, dicitur hominem generare.

22. Dicimur etiam *natura filii iræ*, non quia Anima peccatrix per traducem producatur, à Deo opifice innocens creata; sed quia corpori copulatur, ex quibus unitis Homo resultat justitiæ debitor originalis, ob cujus carentiam contrahitur originale peccatum, non verò quod caro, aut Anima intrinsecè sint infecta, nisi cum Manichæis, & Saturnianis insanire velimus, carnem à Deo malo prodire somniantibus. Si autem cum August. lib. 4. contra Julian. contendatur, semen physicè esse infectum, ac proinde Animam vitiet, adhuc nihil evincitur, tunc enim Anima quidem diceretur à Deo recta creari, in ipso tamen infusionis momento, ob conjunctionem cum corpore vitiato, maculam ipsam contrahere. Non sequitur ergo: peccatum, & mors incœpit ab Adam; ergò etiam Animæ posterorum propagantur ab Adam: quamvis enim Adam non peccasset, Anima per traducem, adhuc non fuisset producta, ob sui excellentiam à Deo per Creationem postulans originem ducere.

23. Obji. II. Patres gravissimi sententiam hanc de traduce Animarum nequaquam respuunt: nec apparet in oppositum ulla decisio Ecclesiæ; ergò nullam censuram meretur hujusmodi opinio Armenorum. Conseq. patet, Prob. ant. nam Magnus Augustinus pluribus

in

in locis videtur in hanc sententiam inclinare, ut originalis peccati existentiam tueatur, lib. 10. de Genes. ad lit. Cap.4. & 7., lib.de Origin. Animæ Cap.7., lib.3. cont. Julian. Cap. 10., lib. 1. Retrac. Cap.1., & alibi passim. Gregor. Magn. lib.7. Regist. epist.53. Eucher. Lugdunen. super illud Gen.2. *Inspiravit in faciem ejus &c.* Hieronym. epist. ad Marcel. & Anapsyc. Quantum verò ad Ecclesiam, non habemus, nisi decretum Lateran. V.sess. 8. sub Leone X. Hoc tamen, utpote merè Latinum, & novitium Adversarii contemnerent; nec ita disertè loquitur, ut omnem ambigendi locum evertat, aliisquè laborat difficultatibus; ergò ex Patribus, & Ecclesia opinio hæc omni caret censura, ac proinde sustineri potest.

24. Resp. ne. ant. quoad primam partem: solummodo enim August. aliquando dubitavit, ob peccati originalis concipiendi difficultatem: At in sententiam nostram propendit, ut patet ex lib. 3. de liber. arb. Cap. 20., de Quantit. Anim. Cap. 1., & alibi. Gregorius Magnus non dicit esse falsam, sed ignotam etiam Viris magnis, ob rationem adductam, & sic de aliis Patribus dicendum est. Nec mirum videri debet, aliquam Fidei veritatem, non adeò compertam, aliquando sub dubio apud aliquos cecidisse, cum de librorum quorumdam Sac. Scripturæ veritate controversia olim viguerit, quæ, subsequentibus deinde sæculis, penitus extincta est, ut patet de lib. Ester, Baruhc, Thobiæ, Judith, Sapientiæ, Danielis parte, & nonnullis quoque novi Testamenti, ut Epist. ad Hæbr., Posteriore Petri. Hieronymus verò loquitur de Hæreticis, ut Tertul. Apollin. Luciferianis, aliisque hujus fa-

rinæ Viris; non autem Catholicis, qui aut sententiam suspenderunt ob rei difficultatem, aut nobiscum senserunt, ut Hilar. Pictav. lib. 10. de Trin. Ambros. Mediol. lib. de Noe, & Arca. Hieronym. adversus errores Joan. Jerosoly. Episcopi.

25. Quantum verò ad Ecclesiæ Decreta, etsi Leo Magnus epist. ad Turib. & Synod. Lateran. non ita perspicuè loquerentur, ut protervos omnino convincerent; Epistola tamen Leonis IX., qui vixit sæculo undecimo, obiitque an. 1054. apud Baron. Annal. Tom. 12., ad Petrum, controversiam dirimit, dum dicit: *Animam esse ex nihilo creatam credo, & prædico.*

26. Obji. III. Nisi Anima ex traduce produceretur, Homo hominem non generaret: hoc autem falsum est; ergò &c. Prob. sequel. maj. Non generaret Formam principalem, qua constituitur in esse formali hominis, nempe Animam rationalem: ergò non generaret Hominem eo modo, quo non dicitur generare rem supernaturalem, qui generat subjectum formæ supernaturalis, nisi producat ipsammet formam supernaturalem.

27. Resp. ne. sequel. ad cujus probat. ne. Conseq. Quamvis enim non generetur forma præcipua humani compositi, quia tamen ponitur à generante ultima dispositio, nempe corpus perfectè organizatum, ad quod ex lege statuta sequitur Animæ infusio, verè homo generat hominem in similitudinem naturæ, ad cujus productionem singulas partes produci minimè necesse est, cum nec materia prima generetur, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, neque in resurrectione forma, vel materia denuò producentur, sed sim-

plex

plex partium unio, ex quibus tamen Homo perfectus resultabit. Paritas verò de forma supernaturali ad rem non facit; nam ipsa subjecto naturali est omnino indebita, illamque nullatenus exigit, & propterea producens subjectum, non dicitur producere compositum supernaturale: Animæ verò infusio corpori organizato est omnino ex lege à Deo statuta debita, & connaturalis; adeoque &c.

28. Obji. IV. Producere prolem in similitudinem naturæ Animæ rationali denegari non potest; ergò fit ex traduce. Conseq. patet. Prob. ant. Nam negari nequit ob perfectionem; alioquin Deus Pater Filium in similitudinem naturæ producere non posset: neque ob imperfectionem; alioquin viventi corporeo denegari oporteret. Nec videtur negandum Animæ rationali perfectissimæ formæ quod Brutis conceditur ex traduce Animas producentibus.

29. Resp. ne. ant. ad cujus probat. dico, hujusmodi Animæ sterilitatem posse ex perfectione ipsius provenire, eo quia cum sit immortalis, & incorporea, non potest à semine quocumque, vel à subjecto, de cujus potentia educatur, pendere; Animam quippe ex puro nihilo eruere, solius est opus Dei Omnipotentis: ex imperfectione quoque nasci potest; cum enim finita sit, & limitata, æqualem sibi alterám in identitate naturę absque dependentia à subjecto procreare non potest. Cum verò semine, ac materia careat, ex quibus educatur; hinc sequitur, sive Animæ, sive Angeli productionem per traducem esse impossibilem. Neque propterea deterioris est condictionis, quam Bruta, imò nobilioris, cum sui originem

ginem unicè à Deo Omnipotente agnoſcat, quod non competit Brutis.

30. Obji. V. Anima vegetativa, & ſenſitiva utpote materiales fiunt ex traduce; ergò etiam rationalis, in qua ipſæ continentur, & cui realiter identificantur: & profectò non in corpore tantum, ſed etiam in Anima adeſt potentia generativa, tamquam principio vitali *quò* ſentiendi, & vegetandi.

31. Reſp. verum eſſe ant. de Anima vegetativa, & ſenſitiva contracta ad Animas Brutorum, quæ ſunt materiales, non verò ſecundum ſe, quæ à materialitate, & immaterialitate præſcindunt, ſicut Animal in genere præſcindit à rationali, & irrationali, adeoque minimè ſequitur, Animam ſenſitivam, & vegetativam Hominis eſſe materialem, ſed ſolummodo, quod ſit principium *quo* actionis vitalis vegetandi, atque ſentiendi, & quidem partiale, non totale; ex quo non ſequitur, debere eam eſſe ſenſitivam, & vegetativam in ſe, ac materialem, ſed ſolummodo eſſe principium actus ſenſitivi, & materialis in genere Cauſæ efficientis, eo pacto, quo Deus eſt principium omnium rerum, etiam materialium, cum tamen non ſit in ſe materialis.

SECTIO SEXTA

Eliduntur objecta contra ſecundam Partem.

32. OBji. I. Contra ſecundam partem, qua dictum eſt, Animas omnes non ſimul, ſed ſucceſſivè creari, juxta Corporum exigentiam: variis Scripturæ locis Gen. 2. 2. *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum,*

quod

quod fecerat , & requievit die septimo ab omni opere , quod patrarat . Ecclesiast.18. 1. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* . Item Ecclesiast.12.7. *Revertatur pulvis , unde erat, & spiritus redeat ad Deum , qui dedit illum*: ergò si Deus quievit die septimo , si creavit omnia simul, si spiritus debet reverti ad Deum, qui fecit illum , omnes Animæ in temporum initio simul fuerunt creatæ .

33. Resp. neg. Conseq. , Illi enim loci ad rem minimè faciunt. Primus enim ex Gen.2. solummodo vult , Deum quievisse ab omni opere , quod intelligitur de illis , quæ decori , ac constitutioni Mundi in actu primo , veluti Hominum habitaculo , Deique Templo deserviunt , uti sunt sydera Cœli , & Planetæ , vel de rerum speciebus , quarum nullæ recenter creantur : non verò de individuis specierum : alioquin nova bestiarum , arborum, ac volatilium individua minimè ex traduce producerentur , quod apertè falsum est , experientia ipsa docente , & ipsemet Augustinus lib.7. de Gen. ad lit. cap.23. innuere videtur .

34. Eodem pacto explicandus est secundus locus , Ecclesiast. 18. Vel etiam dici posset , ly *Simul* cadere super actum Dei creantis , qui profectò simul est , non super objecta ipsa condita , aut creata . Aliæ explicationes apud Corn. Alapid. in hunc locum videri possunt , ubi eruditè rem versat .

35. Ità quoque non urget ex Ecclesiast.12. desumptus : Nam pulvis est materia , ex qua corpus humanum compactum est , & propterea , cum resolutio fiat in ea , ex quibus res componitur , mirum non est , in terra prius pulverem extitisse , ex qua sumptus est , antequam in illam reverteretur : Spiritus autem

non

non fit ex Deo in genere Causæ materialis, sed ab ipso in genere causæ efficientis, & creativæ liberè, & contingenter agentis; quarè solummodo sequitur hoc, quod, sicuti pulvis revertitur in terram, ex qua prodiit, ita Spiritus ad Deum, à quo efficienter creatus est; non verò quod sicuti pulvis existebat in terra, ita Spiritus in Deo, vel apud Deum existeret; sed potius oppositum. Hinc nos dicimur esse ex terra, & Cœlo, juxta Cyprianum dicentem: *Cum Corpus è terra, Spiritum è Cœlo possideamus, ipsi terra, & Cœlum sumus.*

36. Quo pactò explicandus est etiam alius locus ex Sap. 8. 19. & 20. ubi Salomon, cum dixisset, se fuisse puerum ingeniosum, & Animam bonam sortitum, subdit: *Et cum essem magis bonus veni ad Corpus incoinquinatum*; ergò Anima aderat priusquam Corpus incoinquinatum ingrederetur: quæ tamen consequentia mala est, non enim Anima dicitur venisse in corpus, quia ante ipsum extiterit, sed quia, ut esse cœpit, statim in Corpus venit per verissimam Creationem. Idcircò autem dicitur venisse in Corpus incoinquinatum, non quia hoc Anima id ante bonis actibus meruerit, sed quia, cum Salomon ad majorem, plenioremque bonitatem esset destinatus, uti Animam excellentiorem, ita corpus quoque magis aptum sortiri debuit ad pleniorem bonitatem obtinendam, & propterea dicitur eodem capite sortitus Animam bonam, ut optimè Alapide in hunc locum; ex quo non sequitur, Animam ante Corpus extitisse.

37. Obji. II. Angeli ab initio omnes simul creati fuerunt; ergò etiam Animæ. Ant. est

cer-

certum. Prob. Conseq. Nam Animæ habent eamdem durationem, & incorruptibilitatem, sicut Angeli, ut habetur Job. 40. 10. *Ecce Behemot, quem feci tecum*; ergò, sicut Angeli fuerunt simul conditi ab initio, ita etiam Animæ, cum non sit assignabilis ratio, cur Angeli, & non Animæ ab initio simul fuerint conditi, utpotè ejusdem naturæ, & per se subsistentes.

38. Resp. neg. Conseq. ad probationem dico, Animas quidem, utpotè immortales à parte post, habere eamdem cum Angelis durationem, non tamen à parte ante; non quia hoc Animabus ab intrinseco repugnaret; sed quia, cum formæ sint essentiales hominis, debuerunt infundi, cum homines fierent, qui utique ab initio omnes conditi nequaquam fuerunt, sed successivè nascuntur.

39. Objectiones, quas afferunt Origeniani, ut probent, Animas peccasse ante corpus, consistunt in pœnis, quas Animæ in corpore sustinent, veluti Carcere, & ergastulo: at istę supplicia sunt Originalis peccati, quas deplorabat Apostolus ad Rom. 7. 24. dum ait: *Infelix ego Homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hinc Christus Dominus, quærentibus nonnullis Discipulis de cæco nato, quis peccasset, ipse, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Joan. 9. 3. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus*. Patres verò, qui ab Adversariis adducuntur, nihil psos juvant. Hieronymus enim super Cap. 1. epist. ad Ephes. non proprio marte loquitur, sed aliorum narrat opiniones; vel si obscurè, per alia loca Operum ejus explicandus est, utpote Origeni infensissimus. August. lib. 1. de liber. arbit.

Cap.

Cap. 12. Item in Psal. 118. Con. 8. loquitur dubitativè. Si quæ verò afferere videtur lib. 2. Con. Academ. Cap. 9. & in exposit. Psal. 7. & lib. 2. Solil. Cap. 20., ac de Quant. Animæ Cap. 20. ipse se correxit lib. 1. Retrac. Cap. 1. & 4. quod quidem, & fortius fecisset post Quintam Synodum, ubi errores isti funditus elisi sunt.

CAPUT II.

Utrum à Posteris Adæ contrahatur Originale Peccatum?

40. PEr peccatum Originale nihil aliud intelligimus, quam labem quamdam, quæ Hominem naturali generatione ab Adam descendentem ipsomet conceptionis suæ instanti, ac infusionis Animæ rationalis ita inquinat, ut non modò omnibus vitæ hujus ærumnis subjiciat, sed æternâ quoque fœlicitate destituat, reumque damnationis perpetuæ veluti Dei inimicum efficiat, ita aut morbus iste veram, & propriam peccati rationem habeat, nisi salutari lavacro Baptismatis expietur.

41. Hujusmodi peccatum apertè denegavit Pelagius professione Monachus, ingenio ad sui, Ecclesiæque perniciem, teste August. de Nat. & Grat. Cap. 6., excellenti præditus. Qui anno circiter 404. aut 405. uti ex epist. purgationis ejus ad Innoc. I. apparet, contra Fidem Catholicam, Comite Cœlestio ejusdem perfidiæ participe, latrare cœpit. Eum secuti sunt Discipuli blasphemantes, Adamum, non Posteris, sed sibi tantummodò inobedientia sua nocuisse, parvulosque omnes

five Fidelium, five Infidelium, nullum contrahere Originale peccatum: sed idcircò hujusmodi scelus nobis officere, quia per imitationem peccatum Adæ fit nostrum, non propagatione, sed exemplo, ex August. de Peccat. Orig. Cap. 15. & alibi passim; & propterea Baptisma esse quidem necessarium ad vitam æternam promerendam, non tamen ad eluendum ullum peccatum, & effugiendam damnationem, ex eod. August. lib. cit. Cap. 21. Quare dicebat Pelagins inter suos subridens: *Parvuli, quo non eant, scio, quo eant, nescio*. Armeni errorem hunc tenent apud Alphon. Nost. de Castro cont. Hæref. Ver. Peccatum, & Thom. à Jesu de Conver. omnium Gentium lib. 7.

SECTIO PRIMA

Ponitur Affirmativa Conclusio.

42. Dicendum est cum Catholica Christi Ecclesia, dari peccatum Originale ad Posteros propagatione transfusum, quo non Infidelium dumtaxat, sed Fidelium quoque Filii per viam naturalis generationis inquinantur, & veri peccatores funt.

43. Patet hoc ex Scripturis Vet. Testament. nam Psal. 50. 7. asserit Regius Psaltes: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: Job. 14. 4. Juxta versionem Septuaginta: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*: Secundum verò Vulgatam: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu* (supple Deus) *qui solus es*? Sapien. 12. 11. excusantur hominum deli-

delicta, quia: *Semen erat maledictum ab initio*; ergò datur peccatum originale, quo inficiuntur parvuli, & fiunt peccatores, non imitatione, & exemplo, ut Pelagiani buccinabant, cujus parvuli sunt incapaces, sed vero, & proprio peccato à Deo verè pœna æterna punibili, & extenditur nedum ad Infideles, sed etiam ad Fideles: David enim erat Fidelis, & ex Fidelibns natus, & tamen dicit, se in *iniquitate* conceptum.

44. Idipsum ex novo Testamen. habetur ad Rom. 5. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: Prosesequitur Apostolus v. 14. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prevaricationis Adam, qui est forma futuri*. Et 2. Corinth. 5. 14. & 15. *Si unus pro omnibus mortuus; ergò omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*. Ex quibus habetur, peccatum per Adam intrasse in Mundum, quod non potest esse, nisi originale, nam attuale à Lucifero primum fuit inductum: omnes illo peccato deliquisse, & quidem, non per solam imitationem, nam Heva, & Lucifer imitatores habuere, nec tamen dicitur, eorum peccatum in omnes pertransisse: Dari in nobis omnibus aliquod peccatum, quod est causa mortis, quam omnes sustinent Adæ descendentes, etiam parvuli, qui exemplo, & imitatione actuali crimine peccare non possunt. Hujusmodi peccatum ab Adam, usque ad Moysen viguisse incognitum, nempe, originale; actuale

le enim omnibus patebat, atque in his omnibus mortem regnasse: Christum pro omnibus mortuum esse; ergò omnes mortui sunt, etiam parvuli, pro quibus quoque mortuus est Christus, ut non sibi, sed ipsi vivant; ergò datur aliquod peccatum etiam in parvulis, ut Christi morte indigeret ad vitam æternam aquirendam; hoc non potest esse nisi Originale, quod in omnes pertransiit, & in quo omnes, etiam parvuli peccaverunt; ergò ex Scripturis Novi Testamenti datur originale peccatum.

SECTIO SECUNDA

Idipsum ostenditur ex Ecclesiæ Decretis, & Patrum Doctrina.

45. Ecclesia Dogma hoc decidit in Synodo Palestina, cujus meminit August. lib. 1. in Julian. cap. 2. in qua Pelagius peccatum Originale confiteri fuit compulsus. Idipsum decisum in Milevit. 2. cap. 1. & 2., & quidem clarissimè, ita ut subterfugia omnia Pelagio, ac Sectatoribus fuerint adempta, statuendo parvulos recenter natos indigere Baptismo, ut regeneratione expietur Originale peccatum, & ita loca Apostoli intelligi oportere. Idipsum in Africano invenitur adversus detectas Pelagii fraudes lucidiùs confirmatum. Quæ Decreta nedum à Sede Apostolica, verùm etiam ab Ecclesia Universali recepta fuere. Hinc D. Prosper in Cron. ad an. 420. *Concilio apud Chartaginem habito ducentorum, & decem octo Episcoporum, ad Pontificem Zosimum Synodalia Decreta perlata sunt; quibus probatis, per totum Mundum hære-*

hæresis Pelagiana damnata est. Similia docet Arausicanum Secunndum sub Felice IV. anno Christi 324. Can. 1. & 2. ubi damnantur negantes Adæ peccatum, non solum mortem corporis, verum etiam Animæ afferre per unum Hominem inductam. Hujusmodi autem Concilia, etsi Provincialia, aut nationalia, quia tamen in diversis Orbis Partibus edita, & à Romanis Pontificibus confirmata, Ecclesiæ Universalis consensum satis ostendunt.

46. At clarissimè Synodus Florentina Oecumenica, cui etiam Armeni assensum præbuerunt, in lit. Union. habet: *Illorum autem Animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo Originali decedunt, mox in Infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas*. Et in Instruc. Armen. *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Sanctum Baptisma, quod vitæ Spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum Hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua, & Spiritu Sancto renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in Regnum Cœlorum introire*: quibus verbis apertè insinuatur, peccatum dari Baptismate, delendum, & per Adam intrasse, nosque omnes esse Deo mortuos, nisi in Baptismate renascamur. Hæc autem mors est illud, quod nos Originale peccatum appellamus. Idipsum senserunt vetustissimi, & Sanctissimi Pontifices, ut præ cæteris Innoc. Prim. Epist. ad Concil. Milevit., Cælestin. I. Epist. 1. ad Gall. cap. 4. & 12. Zosim. ad omnes Episcopos Orbis Terrarum August. ad Optatum, Epist. 57. referente.

47. Porrò Concilia citata non de Filiis tan-

tantum Infidelium, sed de omnibus universaliter loquuntur: omnibus enim ad mortem Animæ depellendam, quæ peccatum est, Baptisma necessarium adstruunt, atque isto peccato inquinatos ad Inferos damnari, autumant.

48. Patres quoque antiquissimi Ecclesiæ primitivæ in idipsum conspirant. Origenes enim Hom.8. in Levit. *Quod si*, inquit, *placet audire, quid etiam alii Sancti de ista Nativitate senserint, audi David dicentem: In iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum, & in peccatis peperit me matèr mea, ostendens, quod quæcumque Anima in carne nascitur, iniquitatis, & peccati sorde polluitur, & propterea dictum est illud; quia memo mundus desorde, nec si unius diei sit vita ejus*. Similia docet Hom. 12. in Levit. Athan. de Incar. Verb. *Mors invidiâ Diaboli Mundum invasit, excogitato inobedientiæ invento: atque ita ex inobedientia Divini præcepti factus est Homo capax superseminationis Diaboli, ac peccatum jam inde in natura receptum ad omnem concupiscentiam stimulabat*. Similia, imo clariora docet serm. in illud: *omnia mihi tradita sunt &c.* Didymus Alexand. Vir Doctissimus, & satis antiquus ad c.7. Job. *Peccata quædam ex animi nostri electione existunt, quæ supplicium comitatur; partim à Parentibus trahuntur, quibus purgatio debetur*. Nazianzenus Orat. 38. *Deposito vetere Homine, novum induamus, & quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo vivamus*. Eadem scribit Hom.42. Nissenus lib.de Beatit.orat.6. *Quemadmodum autem successione, atque continuatione subinde nascentium per quamcumque speciem Animalium natura simul traducitur,*

tur, & propagatur, ut juxta rationem naturæ, quod natum fuerit, eidem sit cum eo, unde natum est; itidem ex Homine Homo nascitur, ex obnoxio vitiis, perturbationibus, & affectibus iisdem obnoxius, ex peccatore peccator. Chrysostomus eadem sentit Hom. de Adam. & Eva, serm. 6. de Produc. & Myst. Cœn. Dom., sed clarissimè Hom. de orat. Dominic., inquit enim: *Quis Castum se gloriatur habere Cor, aut mundum se esse à peccatis? Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergò ista sunt debita, quia non est sine peccato, nec infans unius diei natus super terram. Nam quomodo potest mundus esse de immundo conceptus semine? Quia in iniquitatibus concepti sumus, & in delictis mater nostra in utero suo aluit, exinde contraximus peccata, non tantum Originalia, sed & propria commissa*. Multæ aliæ authoritates sive Græcorum, sive Latinorum Patrum videri possunt apud Coccium Thes. Cathol. lib. 2. de Peccat. Orig., Bellarm. Dominic. à Trinitate, & alios; ergò datur ex doctrina Ecclesiæ Peccatum Originale.

SECTIO TERTIA

Idipsum rationibus evincitur.

49. I. INfantes, & ipsimet Cathecumeni, mortis periculo imminente, statim baptizantur ex Apostolica traditione, apud Dionysium Areop. de Ecclesiast. Hierarc. cap. ult. & D. August. lib. 4. Cont. Donat. cap. 24. & ex ejusdem epist. ad Hierony. cap. 28.. ergò Parvuli, & Cathecumeni habent Originale pec-

peccatum, propter quod è Regno Cœlorum excluduntur; ideo enim isti Cœlum ingredi non possunt, quod sanè maxima pœna est, quia crimine aliquo inquinnatur; non actuali; ergò Originali: idcirco etiam in lege veteri pro parvulis masculis dabatur circumcisio, sine qua, ratione peccati Originalis, salvari non poterant. Ex Gregor. Mag. lib.4. Moral. cap.2. & August. de Civit. Dei lib.16. cap.27.

50. II. Christus Dominus est omnium Redemptor, & Salvator, ad Colos. 1. 14. & ad Thimot.2.6., ad Titum 2. 14., & alibi passim; ergò etiam parvulorum; hæc autem captivitas, quam nobis abstulit Christus, non est à solo peccato actuali, alioquin parvuli redemptionem Christi non sentirent; ergò ab Originali: reccurrere enim ad peccata futura parvulorum, à quibus salvabuntur, nimis stultum est, cum actu parvuli decedentes è vivis salventur per Baptismum, & absque ipso damnentur. Hinc Leo Magnus serm.1. de Nativit. *Dominus*, inquit, *noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit*.

51. III. Calamitates vitæ præsentis, rebellio carnis ad spiritum, & mors spiritualis & corporalis, omniumque rerum cæca ignorantia, qua: *Homo comparatus est. jumentis insipientibus, & similis factus est illis*, Psal. 48.21. atque ad malum propensio, quæ mala omnia tam acerbè deplorat Apostolus ad Rom. 5. 12. 2. ad Corinth. 12. 7., & alibi passim, non sunt conditiones naturæ, quam Deus condidit rectam, Ecclesiast. 17. 2. ubi luculenter dotes Hominis creati recti explicantur, & recoluntur, & propterea dicit:

Deus creavit de terra Hominem, & secundum imaginem suam fecit illum: & iterum convertit illum in ipsam, & secundum se vestivit illum virtute, & optimè notat August. lib. 4. de Civit. Dei cap. 10. Nulla autem pœna, ut talis est, infligitur absque peccato, cujus est ordinativa, ut idem August. lib. 1. Retrac. cap. 9. ergò, cum, ne dum Adulti, sed etiam infantes hujusmodi Calamitates experiantur, datur aliquod peccatum; pro cujus punitione pœnæ istæ infliguntur ab ipsamet nativitate: non actuale, ut patet in parvulis; ergò Originale.

52. Quod autem reponunt Adversarii pœnas istas esse supplicium peccati personalis Adæ, non Originalis, cum Peccata Patrum etiam in Filiis innocentibus puniantur, Exod. 20. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, & Zelotes visitans iniquitatem Patrum in Filios in tertiam, & quartam generationem*, minimè ipsos juvat: nam Textus citatus loquitur de Filiis Parentum iniquè se gerentibus, non verò, qui divina præcepta custodierint, ut patet ex Contextu, subdit enim: *Eorum, qui oderunt me; & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiant præcepta mea*: istum autem esse Sacri Textus genuinum intellectum, patet Ezechiel. 18. 20. ubi eum asseruisset, peccata propria unicuique imputari, non aliena, subdit, *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii.* Cum ergò parvuli Patrum peccata imitari nequeant, & nihilominus gravissimè puniantur, inest eis peccatum aliquod, ob quod puniri mereantur, quodquidem nihil aliud est, quam Originale,

S E-

SECTIO QUARTA

Solvuntur Objectiones.

53. OBji. I. Ex Scripturis Exech. 18. 20. habetur: *Filius non portabit iniquitatem Patris: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum*: sed admisso Originali, Filius portatet iniquitatem Patris: nam parvuli portant peccatum Originale Parentum; ergo non datur Originale.

54. Resp. breviter con. maj. & ne. min. Parvuli enim portant peccatum suum, non illud Patris, etsi ex illo Patris originem habeat. Quamvis enim contineantur in lumbis Parentum, non contrahunt cætera peccata Parentum, sed solum Originale, quod Parentes ex Adam traxerunt, veluti generis humani Capite, sicuti etiam ex eis justitiam Originalem haberent, si Adam pro se & posteris eam conservasset.

55. Obji. II. Ubi non est prævaricaiio, non est peccatum, ex August. lib. 25. Cont. Faust. Parvuli autem non prævaricantur contra ullam legem, cum omni cognitione careant necessaria ad peccatum, ad Rom. 3. 20., & 14. 14. ergò non peccant ullo peccato.

56. Resp. con. maj. & ne. min. ad probationem dico, parvulos habuisse, & habere cognitionem peccati in Capite Adam, in quo continebantur, & proindè verè prævaricari, sicuti ob eamdem continentiam mereri poterant originalem justitiam, & consequenter peccant, non quidem personali, sed originali peccato.

57. Obji. III. Ad Rom. 5. 19. legitur:

 Si-

Sicut per inobedientiam unius Hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem justi constituuntur multi: non omnes autem per obedientiam Christi constituuntur justi, neque fruuntur gratia Christi, nec ipsi renascuntur; ergò etiam multi dari possunt, qui non maculentur in Adam, nec ab ipso trahant originale peccatum; ergò &c.

58. Resp. con. maj. & dist. min. ex defectu regenerationis ne. min. voluntatis eorum conc. min. & neg. Conseq. Idcircò enim omnes nati ex Adam absolutè peccatores constituuntur, quia omnes necessariò ex ipso descendunt: non verò omnes necessariò Christo renascuntur, quia hujusmodi Nativitas, cum ex Gratia, & libertate legis Evangelicæ prodeat, libera debet esse in se, vel in applicante. Parum autem officit, numerum eorum, qui contrahunt, aut à peccato liberantur exprimi per ly *Multi*: tum quia toto illo Capite, dum contrahentes originale describit, modo utitur ly *multi*, modo ly *omnes*, & propterea ly *multi* idem significat ac ly *omnes*: tum quia in Scripturis ly *multi* accipitur sæpè pro ly *omnes*, ut patet Gen. 17. 5. ubi Abraham vocatur Pater multarum Gentium, cum tamen Gen. 22. 18. dicatur ipsi: *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes*: tum quia ex August. lib. cont. Julian. *multi* significat *omnes*, quando omnes sunt pauci: ut Evangelia quatuor sunt omnia, & tamen sunt pauca. Quamvis autem regeneranti per Christum sint pauci, sunt tamen omnes, quia nemo extra Baptismum salvari potest: at hæc levia sunt, & ideò contemnenda.

59. Obji. IV. Ex hoc, quod omnes homi-

mines in Adam veluti in Capite contineantur, non arguitur, ab iis contrahi Originale peccatum ergò &c. Prob. ant., ex eo quia omnes homines renovati contineantur in Christo veluti in Capite, non sequitur derivari in eos originalem justitiam Christi; illa enim, quæ nobis in Baptismate confertur, justitiâ Christi est longè inferior; ergò, etsi omnes homines contineantur in Adam, veluti in Capite, non sequitur, ab his contrahi peccatum Adæ.

60. Deinde quamvis virtute Christi Capitis nostri peccatum fuerit extinctum, & mors spiritualis destructa, ad Hæb. 9. 26. & 1. Corinth. 15. 55. 56. adhuc tamen plures peccant, & spiritualiter moriuntur; ergò ab opposito stare poterit, Adamum fuisse inobedientem, & nihilominus ejus inobedientiam non transivisse ad Posteros, cum Gratia Christi sit Adæ peccato potentior.

61. Resp. ne. ant., & Conseq. probat. Adam enim est Caput nostrum naturale, Christus ex Gratia: ex hoc autem non sequitur, peccatum Originale minimè contrahi, sed solummodo illam gratiæ plenitudinem, quæ erat in Christo, non transfundi in Baptismate ad Fideles, qui eidem renascuntur. Quamvis autem eadem Gratiæ plenitudo, quæ in Christo erat, Fidelibus, dum regenerantur, minimè communicetur, eadem tamen in æquivalenti infunditur, dum Fides, Spes, & Charitas donantur, quibus Anima renovatur, justificatur, & rectificatur, atque in finem supernaturalem dirigitur, ex Triden. sess. 6. de Justit. Cap. 7. & notat Subtilis 2. dist. 32. Quæst. Unic. ad Argum. Quæst. 4. Alia quoque munera Cœlestia tribuuntur, quibus etsi

fomes nequaquam tollatur, ad luctam nobis relictus, frænari tamen potest, & comprimi, ut rationi minimè prævaleat, ex Milevit. 2. Cap. 3.

62. Ad Conf. neg. Conseq. nam peccati, mortisque per Christum extinctio, in eo consistit, non quod peccatum sit omnino extinctum, ut nemo delinquere ex arbitrio possit: oppositum enim, ex Milevit. 2. Cap. 6. habetur: vel nullo pacto mori, cum habeamus: Hæb. 9. 27. *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem judicium*, uti Christus ipse mortuus est; sed in eo consistit, ut meritis Christi Domini à peccato Originali, quod generatione accepimus, in Baptismate liberemur, à Captivitate Dæmonis eripiamur, atque in adoptionem Filiorum Dei, vitæque æternæ hæreditatem in Adam deperditam restituamur, & efficiamur nova Creatura secundum restauratam imaginem Dei: Cum verò in peccata incidimus, ejusdem Christi meritis per Sacramentum Pœnitentiæ à morte, resurgamus, Deoque laborioso quidem Baptismate iterum reconciliemur, & quidquid amisimus, recuperemus; Passionis suæ Christo prætium Communicante.

63. Hinc non sequitur, infirmiorem esse Gratiam Christi peccato Adæ, sed longè fortiorem. Tum quia ipsa, quantum est ex parte sua, omnes ex Adam nascentes Originali pollutos mundare potest. Tum quia, etiam peccata actualia vim habet, non tantum in Baptismate, sed etiam in Pœnitentiæ Sacramento delendi, ac restituendi stolam, immortalitatis, quam peccando amisimus, viresque communicandi, ne iterum in laqueos Diaboli incidamus; ac propterea tam in-

ten-

tensivè, quam extensivè Gratia Christi Peccato Adami potentior est.

64. Obji. V. Multis rationibus coacervatis, quas Pelagiani D. August. & Catholicis objiciebant sic: Peccatum Originale non est voluntarium, neque in se, quia parvuli propria voluntate non peccant; neque in causa, quia proprias voluntates in Adam nec compromiserunt, nec compromittere poterant; ergò non datur.

65. II. Non peccat, qui nascitur, nec qui genuit, nec qui condidit; ergò nemo peccat; alioquin nuptiæ dicerentur malæ, ex quibus tantum malum prodiit.

66. III. Parvuli non justificantur fide alienâ; ergò neque peccant peccato alieno, cum voluntas propria ad utrunque requiratur.

67. IV. Fideles conjuges, cum Filios generant carent Originali: ergò illud transfundere non possunt, nemo enim dat, quod non habet; ergò sicuti Adam peccator, quia justitia carebat Originali, eam non poterat ad Posteros transfundere, ita Parentes fideles Originali carentes, illud nequeunt ad Filios transmittere.

68. V. Calamitates, quas patimur, oriuntur ex intrinseca ratione Naturæ ex Elementis compositæ, Animæque, & corporis inter se colluctantium, quas quidem passiones, & mortem etiam Christus sensit, & quæ in Baptizatis quoque perseverant; igitur non sunt pœna peccati, cessante enim causa, cessat effectus.

69. VI. Parvuli absque Baptismo decedentes in extremo judicio, nec judicabuntur, nec damnabuntur, cum Divina Scriptura de

solis Adultis sermonem faciat; ergò nullum contrahunt Originale peccatum.

70. Ad I. dico, Originale esse voluntarium in causa, cum cognitione finis, & à principio intrinseco, non quidem in voluntate parvulorum physicè, & actu existente, ut rectè advertit Mag. August. lib.1. de Nup. & concupis. cap.28., sed in capite præcontenta, & moraliter perseverante. Neque opus est ad hujusmodi voluntatem, à parvulis compromissas fuisse in Adam voluntates proprias: tuncenim actuale fuisset, non Originale peccatum, sed Dei sufficit voluntas, plenissimum, plusquam nos ipsi habeamus, voluntatum nostrarum dominium possidentis, ut notat August. de correp., & Grat. cap.14.

71. Ad II. Respondeo, peccare eum, qui nascitur in Adamo, in quo, & per quem potuit non peccare.

72. Ad III. ne. ult. conseq. nempe non contrahi à parvulis Originale peccatum: Sicuti enim non justificantur fide alienâ, sed sibi habitualiter inhærente: ita non peccant peccato alieno, sed proprio, ut notat Triden. sess.5. de pecc. Orig. can. 3. Nec adest ulla ratio, cur ex meritis Christi Infantes absque Fide actuali personali resurgant à peccato, Regnoque renascantur, & absque voluntate propria actuali nasci nequeant in peccato, eadem quippe voluntarieta s ad peccandum, atque ad resurgendum à peccato necessaria est.

73. Ad IV. Ne conseq. ad cujus probat. dico, Parentes Fideles, cum Filios generant, dare quod habent ex generatione carnali, nempe naturam specificam vitiatam. Quamvis autem ea ratione, qua sunt ex Spiritu Sancto geniti, peccatores Filios minimè pariant,

riant, ea tamen, quà per generationem carnalem Filiis naturam in Adam vitiatam communicant, mediante semine generationis instrumento, quod ab Adam acceperunt, Naturam quoque peccato pollutam Filiis præbent, per quam Filii Adæ nascuntur: regeneratio autem Spiritualis, cum sit donum merè gratuitum, sequitur individuum, non naturam. Hinc fit, ex Parentibus fidelibus nasci Filios infideles; & propterea peccata personalia Parentum, uti merita ad Filios minimè transeunt. Ita respondet D. Thom. lib.4. cont. Gent. cap.52. ad 12. Ideo autem Adam justitia Originali privatus eam ad Posteros traducere non potuit, quia nihil habebat, quo posset illam transfundere: Parentes autem fideles etsi justificati, habent instrumenta generationis cum fervore libidinis conjunctæ, virtutemque activam seminis vitiati, quibus mediantibus, Filius Adæ nascitur, & ipsamet natura specifica communicatur, atque sanatur in individuis, quoties Baptismo mundatur, quod generatione contractum est: & propterea dicitur in Christo restaurata.

74. Ad V. Dico, in statu Naturæ puræ, calamitates illas futuras ejusdem conditionis, quibus caruissent Adæ Posteri, si minimè ipse peccasset: nunc autem cum Deus Hominem ab initio rectum fecisset, deliquerit verò, suumque peccatum ad Posteros transmittat, hujusmodi calamitates Naturæ non esse conditiones, sed pœnam damnatæ, ut optimè August. Enchirid. cap.26. Ipsas autem a Christo Domino fuisse toleratas voluntaria acceptatione, ejus eximiæ Charitati, qua dilexit nos, & lavit nos sanguine suo, ad scribendum; *qui vulneratus est propter iniquita-*

 tes

tes nostras : attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus, ut habetur Isaiæ 53. 5. Concupiscentia verò in renatis, mors, & cæteræ manent calamitates, ut ostendatur malum maximum, quod meremur in pœnam, nisi à Christo fuissemus misericorditer liberati, atque ut nobis pro materia virtutis, agonis, & meriti deserviant, ex Triden. sess. 5. de Pec. Orig. Can. 5., post resurrectionem penitus destruendo, cum *mortale* hoc juxta effatum Pauli 1. Corinth. 15. 57. *induerit immortalitatem*.

75. Ad VI. Ne. ult. conf. Parvuli enim absque Baptismo decedentes, cum Fide sive habituali, sive actuali ac Baptismate careant, jam sunt judicati, ex Joan. 3. 18. *Qui non credit in eum, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei*, & v. 5. *nisi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Mat. autem 25. fit mentio de Adultis, quorum opera in extremo judicio cribranda sunt. Quod si etiam parvulorum fit examen, eodem judicio feriendi sunt, quo in Judicio particulari fuere affecti. Quare argumentum evanescit.

76. Supersunt nonnulla loca Patrum explicanda. Ambros. Commen. cap. 5. ad Rom. videtur dicere, post mortem nihil aliud superesse nisi Cœlum, & Infernum, quæ loca debentur iis, qui propriis operibus alterutrum ex his meruerunt, quibus verbis excludi videntur, qui contrahunt Originale Peccatum : at facilis est responsio. Admissis enim his commentariis pro genuinis ejusdem operibus, quod plerique in controversiam advocant, Ambrosius intelligitur de iis, qui post Baptismalem regenerationem delinquunt,

qui

qui profectò Adæ peccato damnationem adscribere non debent, sed propriis criminibus post Baptisma commissis, quem quidem esse Ambrosii sensum, patet ex antecedentibus, ubi manifestè Originale peccatum admittit. Chrysostomus Epist. ad Neoph., cum ait, Parvulos carere peccato, interpretandus de peccato proprio, & Personali, quod verbum *proprio*, non addidit, quia Pelagiani, ut ait August. lib. 1. cap. 6. adversus Julian. nondum insurrexerant. Hom. verò 17. in prior. ad Cor. cum dicit: *Propter illum*, videlicet *Adamum pereo? Minimè propter illum*. Vera dicit, nam Adulti, quos alloquebatur, pereunt ob peccata propria, & actualia post Baptismum commissa, non ab Originale jam deletum; hinc subdit: *Neque enim tu sine peccato permansisti; quod si non idem peccatum, aliud commisisti*. Theodoret. in explicat. loc. illius ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam &c.* Ubi favere videtur Pelagianis, explicari in sensu optimo potest, nec censeri debet à seipso desidere, qui in Epit. Divin. Decret. cap. 12., undè objectio desumpta est, Peccati Originalis existentiam propugnat, & sic de aliis Patribus sub obscurè loquentibus faciendum est.

CAPUT III.

Utrum Peccatum actuale Hominum à Dæmone, vel à Creata voluntate proficiscatur?

77. ARmeni præter alios, quibus detinentur, errores, hoc quoque cæcutiunt, ut culpas proprias non in propriam

voluntatem, sed in violentam Dæmonis irruptionem, atque coactionem refundant. Videndum, an rectè in hoc sentiant?

78. Duplici potest modo Dæmon esse nostrorum criminum causa. I. Indirectè, quatenus proponit objecta vetita, cum motivis ad illa vehementer allicientibus. II. Directè, agendo in ipsammet voluntatem, illamque vi sua compellendo ad assensum. His modis Quæstio est, an omne peccatum à nobis, Dæmone impellente, necessariò committatur?

SECTIO PRIMA

Dicendum est I. non quæcumque peccata ex Dæmonis impulsu proficisci.

79. Patet ex Scripturis; nam sola concupiscentia, & fomes ex Adæ peccato relictus sufficiunt pro Homine ad peccatum impellendo. Concupiscentia enim est nobis intrinseca, atque ad malum summoperè inclinans, nisi Gratia Dei compescatur; propterea lex membrorum à D. Paulo vocitatur, eamque deplorat ad Rom. 7. 23. Ubi in fine ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Jacob. 1. 14. habetur. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Cap. autem 4. 1. dicitur: *Unde bella, & lites in Vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris.* Genes. 8. 21. pro excusandis hominibus, ne ulterius diluvio puniantur pro peccatis, adducitur impetus non Dęmonis, sed concupiscentiæ ad peccatum impellentis: *Sensus enim, & cogitatio*

tio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua; ergò peccata non Dæmoni unicè adscribenda sunt, sed potius concupiscentiæ.

80. II. Voluntas, ex quo ex nihilo est, nec per se regula operandi, absque ullo adminiculo, ex plena sui libertate à prima regula deflectere potest, & proinde peccare, uti docet August. lib. 12. de Civit. Dei, & cum eo Scholastici D. Thomas 1. part. quæst. 83. art. 1. D. Bonav. 2. dist. 24. art. 1. Quæst. 1. Subtil. Doct. 2. dist. 23. quæst. 1.; ergò absque alieno Dæmonis impulsu potest humana voluntas peccare.

Dicendum II. Dæmon ullo pacto cogere potest humanam voluntatem ad peccandum.

81. Patet ex Scripturis plenissimam in Homine ad peccandum, vel non peccandum libertatem collocantibus, ut Deuter. 30. 19. *Testes invoco hodie Cœlum, & Terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem benedictionem, & maledictionem: Elige ergò vitam &c.* Ecclesiast. 15. 14. *Deus ab initio constituit, & reliquit Hominem in manu consilii sui.* Similia passim repetuntur. At fortius adhuc: nam Divinæ Scripturæ nos hortantur, ut Dæmoni viriliter resistamus; & revera eidem resisti asseritur, ut Jacob. 4. 7. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis* ad Ephes. 6. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli*, & v. 16. *In omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

82. Patres quoque huic doctrinæ manus præbent, ut Cyrill. Catec. 4. *Liberum arbitrium habet*

habet Anima, & potest quidem Diabolus incitare, cogere autem præter voluntatem omnino non potest. Chrysostom. Hom. 59. in Act. Apost. *Multi absque Diabolo peccant; non omnia ipse efficit, sed multa etiam fiunt à sola nostra ignavia*. Similia docet Orig. & quidem clarissimè Hom. 20., & lib. 1. de Princip. in Prohem. igitur ex doctrina Scripturæ, & Patrum Dæmon ad peccata non cogit.

83. Ratio ipsa naturalis suffragatur: Tum quia Angelus bonus non cogit ad benè agendum, ut omnes concedunt etiam Adversarii; ergò neque Angelus malus ad male operandum: Uterque enim Angelus eadem pollet virtute naturali. Tum quia concupiscentia, etsi adeo indomita, & fortis, & pravi habitus ad malum non compellunt; ergò neque Angelus malus; cum fortior videatur concupiscentia nobis intrinseca, quam impulsus Dæmonis nobis omninò exterior. Tum quia nullus Angelus sivè bonus, sivè malus immediatè in voluntatem, & intellectum agere potest, sed solummodo cogitationes, aut passiones excitare, ex speciebus in sensu externo, aut interno existentibus, uti docent D. Thom. de malo, Quæst. 16. art. 11. D. Bonav. 2. Dist. 8. art. 1. Quæst. 2. & Doct. Subtilis 2. Dist. 11. Quæst. unic. §. *Ad Quæstionem*. Vel quia, ut ait Seraphicus Doctor, solus Deus Supremum in Anima dominium habet, ipsique intimè unitur: vel quia, juxta Subtilem, prò statu isto datur omnimoda intellectus; & voluntatis à sensibus dependentia, ob quem nullum agens externum, nisi Deus, aliquid in mente, nisi per objecta sensibilia causare potest. Tum quia Deus nedum gratia sufficienti, cui plerumque voluntas

tas humana reluctatur ex Act. 5. 52. sed etiam efficaci, quæ de nolentibus volentes facit, & à nullo duro corde respuitur, ex August. de Prædest. Sanctor. cap. 8. nullam vim facit, aut facere potest voluntati, quin illam respuere, ipsique resistere possit, ex Triden. sess. 6. cap. 4., ergò si non cogit voluntatem Deus, qui juxta August. de Correp. & Grat. cap. 14. *Magis habet in potestate voluntates Hominum, quam ipsi suas*, multò minus Dæmon id facere poterit, qui hujusmodi potestate, utpotè mera creatura minimè fruitur.

84. Verumtamen est, tentationes Dæmonis esse vehementissimas: at ipsæ non cogunt, sicut non cogunt concupiscentiæ incentiva, quibus tamen humana infirmitas succumberet, nisi Dei adjutorio firmaretur, uti adversus Pelagianam impietatem Milevitana Secunda can. 7. Arausicana pariter secunda Can. 19. Patresque omnes unanimi consensu decreverunt. At hoc ad rem non facit.

SECTIO SECUNDA

Solvuntur Objectiones.

85. OBji. I. Dæmon est homicida spiritualis Animæ, dicente Christo ad Judæos Joan. 8. 44. *Vos ex Patre Diabolo estis; ille homicida erat ab initio*; ergò compellit immediatè, & integrè ad peccandum, & hoc est Animæ mors, alioquin sicuti mortem immediatè non causaret, ita non esset homicida.

86. Resp. Conc. ant., & neg. conseq. Quamvis enim immediatè, & ut causa totalis non causet peccatum, quod est animæ mors, quia tamen id facit mediatè, violentissimis

nimi-

nimirum tentationibus, atque insidiosis suasionibus, aut alliciendo, aut terrendo, verissimè dicitur homicida; sicuti quicumque homo talis diceretur, si hortationibus, mendaciis, dolis, illecebris alium induceret ad hominem necandum, & severissimè puniretur, etsi immediatus occisor alteri mortem intulisset; hinc Adam, & Heva, quia Malum vetitum comederunt, minimè fuerunt excusati, eo quia Serpentis suasionibus irretiti præceptum Dei violarunt, Gen. 3. 13. 16. At serpens quoque durissima pœna mulctatus fuit, non quia comedentes coegit; sed quia impia deceptione impulit ad comedendum, ex Genesi 3. 14. Ob eamdem rationem dicitur. Job. 41. 25. origo omnis peccati, non quia causet immediatè omne peccatum, sed quia suadet omne peccatum, vel quia ipse primus fuit, qui peccaret, vel quia peccantem ferè omnes imitantur, aut sunt imitati.

87. Obji. II. Dæmon in Sacris Scripturis dicitur Princeps hujus mundi. Joan. 12. 31. 14. 30. 16. 11. & Just. in Dial. cum Triphon. Tertul. Apol. cap. 37., & alii apud Alapide in hunc locum explicant, eo quia dominium, & potestatem in Homines exercet: hæc autem potestas non exercetur, nisi causando immediatè peccatum, eo modo quo Deus exercet dominium suum in creaturas, omne bonum in eis causando; ergò Dæmon solus causat omne peccatum.

88. Resp. neg. min. Illam quippè potestatem exercet, non quidem immediatè, cum voluntate concurrendo, sed mediatè tantum per suggestiones, ac fraudulentas insinuationes: Ejus siquidem dominium super corpus tantummodo, atque ab eo pendentia extenditur,

ditur, cujus tamen impetus à Deo post mortem Filii ejus coercetur, juxta illud Joan. 12. 31. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*; nec permittitur vires suas exercere, & proinde à se ipsis potius, quam à Dæmone cavere debent Armeni. Cæterum, etiamsi in peccatum, ut causa partialis confluerct, adhuc tamen non sequeretur, eam ab eodem compelli, uti ex eo quia Deus, ut causa universalis ad opus quodcumque positivum, concurrit, non sequitur, arbitrium Creaturæ volentis ab eo compelli.

89. Obji. III. Dæmon habet potestatem, & vim majorem, quam cætera objecta creata, ex Job. 41. 24. *Non est potestas in terra, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat*. Similia dicuntur 1. Petr. 5. 8. ad Ephes. 6. 12., & alibi passim; ergò cogere potest ad peccatum, alioquin magnam hanc potestatem non haberet, qua cæteræ carent creaturæ.

90. Resp. neg. conseq. quamcumque enim potestatem Dæmon habeat, æqualem Deo minimè possidet, qui tamen arbitrium humanum nequaquam cogit, sed in sua plenissima relinquit libertate. Potentia ergò Dæmonis ergà voluntatem in violenta, ac vehementi solummodo, & quidem externa suasione consistit, non verò in interna coactione voluntatis, quam Deus immutare quidem potest, non tamen compellere invitam. Hinc plerique Sancti Homines ejusdem suggestionibus resistentes imbecilitatem objiciebant, non potestatem eos ad illicita cogendi.



CA-

CAPUT IV.

An detur peccatum irremissibile?

91. Sensus Difficultatis est, utrum detur peccatum aliquod intensivè adeò grave, vel multitudo peccatorum adeo exorbitans extensivè, ut per Claves Sacramenti Pœnitentiæ, aut per contritionem perfectam nequaquam deleri queant, etsi rectè applicentur? Loquimur autem de facto, non autem de possibili. Armeni à Novatianis fortasse edocti existimant, nonnulla dari crimina gravitate, aut multitudine adeo enormia, ut nullo modo, aut perfectâ contritione, aut Pœnitentiæ Sacramento deleri, valeant. Videndum, an opinio hæc firmo aliquo fundamento nitatur?

SECTIO PRIMA

92. Dicendum est cum Catholicâ Christi Ecclesia, nullum dari peccatum, adeò grave, aut multiplex, quod verâ contritione, aut Sacramentali Confessione dignè susceptâ non deleatur.

93. Patet ex clarissimis Divinæ Scripturæ Textibus Veteris Testamenti. Nam Isaiæ 1. 16. cum dixisset: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè*, post aliqua subditur, v. 18. *Venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*; & v. 55. 7. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum,*

minum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Exech. 18. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est &c. omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Numquid voluntatis meæ est mors impii dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Propterea Scriptura hortatur peccatores ad pœnitentiam, ut veniam consequantur. Jerem. 3. 1., Exech. 18. 30. 31. Jojel. 2. 12. 13. & alibi passim.

94. Nec desunt exempla ex Scripturis hausta; Ninivitæ, Jona prædicante, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, ut ex Jonæ 3. 5. 10. inquit Trident. sess. 14. cap. 4. & veniam gravissimorum scelerum impetrarunt. Manasses Homo nequissimus, Idolorum cultor, lib. 2. Paralip. cap. 33. 12. 13. Acab vir sacrilegus ac Hominum hostis. 3. Reg. 21. David Homicidii, ac Adulterii reus. 2. Reg. 11. 17. & 3. Reg. 12. 18. verâ pœnitentiâ Deum placarunt, ipsique sunt reconciliati, aliave hujus veritatis exempla possent adduci; igitur ex veteri Testamento nulla est culpa gravitate, aut multitudine adeò enormis, quæ per veram pœnitentiam non condonetur.

95. Si verò novum consulamus Testamentum, uberiora inveniemus Testimonia: nam Lucæ 7. 48. Mariæ Magdalenæ scelera plura ob pœnitentiam dimittuntur. Math. 9. 13. Publicano usuris, & extorsionibus celebri, non solum gravia peccata condonantur, sed Apostolatus confertur Act. 3. 19. Crucifixores Christi ad veniam invitantur. Lucæ 15. 22. 23. Filius prodigus luxuriâ, bonorumque paternorum dissipatione infamis, nedum ad veniam,

niam, sed ad amplexum Patris cum gaudio admittitur. Et in Evangeliis nihil frequentius inculcatur, quam venia pœnitentibus peccatoribus facillimè, cujuscumque sint generis, concedenda.

96. Quod tamen magis urget, est Christi institutio. Math. 18. 18. ubi tribuitur Apostolis, eorumque Successoribus à quocumque peccato pœnitentes absolvendi, nulla multitudinis, aut gravitatis facta restrictione, verbis illis: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, & in Cœlo*; & quidem non prima vice tantum, sed toties, quoties. V. enim 21. ejusdem capitis, cum postulasset Petrus, an usque ad septenarium numerum peccata dimittere deberet? Ait Christus: *Non dico tibi usque septies, sed septuagies septies*.

97. Idipsum absque ulla restrictione iisdem Apostolis dictum est Joan. 20. 21. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Et quidem nomine, & authoritate Christi dicentis v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; ergò ex Divinis Scripturis nullum est peccatum, quod per veram pœnitentiam, etsi gravissimum, non dimittatur. Quod si aliquibus in locis videatur Scriptura peccati remissionem ad certum numerum coarctare, ut Amos 2. 4. *Super tribus sceleribus Moab, Juda, & Isael non convertam eos*, & Jerem. 7. 16. Id de verè pœnitentibus minimè asserirur, sed solummodo significatur, nonnullos ob inveveteratam malitiam, atque in peccato sordescentiam à Deo deserendos, nè veram pœnitentiam peragant, negatis nimirum efficacioribus

bus auxiliis, sine quibus numquàm à pravo statu, in quo jacent, resurgent, juxta Canones Arausicani II., & Augustinus perpetuo inculcat; etsi gratia sufficienti adjuti absolutè possent. Legatur Vega Noster de Justific. lib. 13. cap. 11. 12. & 13. Possent etiam loca illa intelligi de pœnis, & calamitatibus temporalibus, quas Deus in eorum vindictam erat immissurus, pro quibus non vult à Propheta Deus exorari: Et hic sensus videtur contextui magis cohærere, ubi de suppliciis temporalibus, quæ immissurus erat, fit sermo.

SECTIO SECUNDA

Idipsum ex Patrum, & Ecclesiæ Doctrina evincitur.

98. Ephrem. Syrus de Pœnit. & Conver. *Neque enim super aliquibus peccatis limitavit* (supple Deus) *pænitentiam, super quibusdam autem non: sed ad omnem plagam peccati nobis magnus ille Animarum nostrarum Medicus dedit magnum hoc remedium.* Ignatius Martyr epist. ad Philadel. *Omnibus pœnitentibus remittit Deus, si concurrant ad unitatem Ecclesiæ, & Episcopi Concilium.* Justin. Mart. Dial. cum Triph. *Quem pœnituerit delictorum commissorum, remissionem illorum est consecutus.* Iræneus lib. 3. cap. 37. *Timor Domini initium intelligentiæ: intellectus verò transgressionis facit pœnitentiam: pœnitentibus autem largitur benignitatem suam Deus.* Epiphan. Hæres. 69. *Si quis præoccupatus fuerit in aliquo quocumque sanè delicto, pœnitentiam agat: suscipit enim Deus pœnitentiam; etiam post Baptismum, si quis lapsus fuerit.* Num-

quam

quam finem facerem si Patres omnes adducerem, veritatem hanc disertissimè docentes. Legatur Chrysost. ad Theodor. Lapſ., hom. 3. in cap. 2. Math., Hom. de Pœnit., Homil. 80. ad Popul. Antioch. Basil. ad Monachum lapsum. Nissen. de vita mystic. Nazianz. Orat. in Sanct. Lumin. Cyrill. Alexand. in Joan. lib. 12. cap. 56. aliique præter Latinos apud Jodocum Coccium Thesaur. Catholic. tom. 2. lib. 7. de Pœnit.

99. Eadem quoque praxis, idemque semper fuit Ecclesiæ Catholicæ sensus. Apostoli in suis Canonibus Can. 52. sanxerunt: *Si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, eum qui à peccatis convertitur, non recipit, sed ejicit, deponatur, quoniam Christum molestiâ afficit, qui dixit: Gaudium est in Cœlo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem*. Hoc idem subsequentia vetustissima Concilia sanxerunt, & usu confirmarunt, ut duo Romana sub Cornelio Papa, Carthaginense sub Cypriano, Arelatense I. sub Sylvestro Can. 23., Ancyranum I. sub Sylvestro Can. 4. & sequen. Laodicenum Cap. 2. 7. 9. Arelatense II. sub Sylvestro Can. 10. 11. & 12. Chartagin. III. sub Anastasio. Milevitanum Cap. 13. Arausican. I. Cap. 3. & alia Nicænum I. Oecumenicum, Can. 8. & 11. Lateranense IV. Oecumenicum, in quo Patriarchæ quoque Orientales adstiterunt Cap. *Firmiter* de sum. Trin. & Fid. Catholic. Cap. 1. ubi habet: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum per veram pœnitentiam semper potest reparari*. Idipsum in Florentino pariter Oecumenico, quod ab Armenis repelli non potest, utpote ab ipsis receptum, sancitum est in Bulla *Lætentur Cœli*, ubi decisum est, Animas

mas verè pœnitentes in Dei charitate decedentes, Purgatorii quidem pœnis purificari: sed maculis abstersas in Cœlum ascendere, quod falsum esset, si peccata darentur penitus irremissibilia; ergò ex sensu Patrum, praxi, & doctrina Ecclesiæ Universalis, etiam primitivæ, cui non adherere insolentissimam esse insaniam, dixit optimè August. epist. 84. ad Januarium, nullum datur peccatum irremissibile per veram pœnitentiam.

SECTIO TERTIA

Idipsum ratione aliqua evincitur.

100. I. CHristus pro omnibus mortuus est, ut Armeni fatentur, ex Apost. 1. ad Timoth. 1. 16., ergò etiam peccatores summi, si ad pœnitentiam revertantur per meritum Christi, *qui emundat nos ab omni peccato* 1. Joan. 1. 7. Quare hortatur nos, ut *confiteamur peccata nostra; fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*; ergò etiam gravissima peccata pœnitentibus remittuntur.

101. II. Redemptio Christi est copiosa, & superabundans Psal. 129. 7. & docet Paulus ad Rom. 5. 15. inquit enim *Non sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis Gratia Dei, & Donum in gratia unius Hominis Jesu Christi in plures abundavit*: non esset autem copiosa, & superabundans Redemptio, nisi extenderetur ad omnia peccata, quantumvis numero, & turpitudine gravissima, peccatoribus pœnitentibus condonanda; ergò &c.

102. III. Justitia Dei punit omnia peccata, nedum gravissima, sed etiam levissima, in

in pœnitentiam minimè agentibus; ergò Misericordia condonat pœnitentibus etiam gravissima peccata, cum Deus ad parcendum sit pronior, quam ad puniendum: *Misericordia* enim *super exaltat judicium*. Jacob. 2. 13.

103. IV. Omnes tenentur sperare Beatitudinem; desperationis enim peccatum gravissimum est, & propterea peccatores ad Pœnitentiam, ejusque Sacramentum suscipiendum obstringuntur, saltem in Paschate ex Lateran. IV. & in mortis articulo, aut periculo, juxta communissimam Theologorum & PP. Sententiam, Cap. *Utriusque sexus*; ergò nulla dantur peccata omnino irremissibilia, quibus admissis, hujusmodi onera minimè urgerent.

104. Ult. Summa licentia nequissimis hominibus præberetur in omnia atrociora flagitia dilabendi, si spes veniæ gravioribus criminibus tolleretur, & vera ad Deum conversio inutilis censeretur. Quo motivo Concil. Rom. sub Cornel., & Afric. sub Cypriano indulgentiam lapsis tribuendam censuerunt, ne, sublata spe veniæ, in profundum malorum præcipites ruerent, uti Marcionem fecisse novimus à Patre Episcopo ob grave erratum, etsi pœnitentem rejectum, & propterea in hæresim lapsum, teste Epiphan. hæres. 42. Quod quidem incommodum in sententia nostra minimè sequitur: nam Ecclesia verè pœnitentibus veniam quidem misericorditer largitur; at ne facilitas veniæ incentivum præbeat peccandi, congruas præscribit pœnas in vivis præstandas, aut profectò in Purgatorio luendas, & propterea scitè à Triden. sess. 14. cap. 2. ex Sanctis Patribus laboriosus quidam Baptismus appellatur.

S E-

SECTIO QUARTA

Solvuntur Objectiones.

105. OBji. I. Ex Divinis Scripturis: 1. Reg. 2. 25. *Si peccaverit Vir in Virum placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* Cap. verò 3. ejusdem lib. 14. *Idcircò juravi Domui Heli, quod non expietur iniquitas Domus ejus victimis, & muneribus usque in sempiternum.* Proverb. 1. 18. 24. *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret &c. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, manè consurgent, & non invenient me.* 2. Machab. 9. Antiochus Rex peccatorum suorum dolorem, & pœnitentiam concepit, & tamen, V. 13. dicitur: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consequturus.* Marc. 3. 29. *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Ad Hæbr. 10. 26. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Ergò ex Divinis Scripturis dantur aliqua peccata, quæ remitti non possunt.

106. Resp. neg. Conseq. Primus enim locus 1. Reg. 2. non fuit Dei locutio proprio marte dicentis, sed Heli Sacerdotis, qui nec Propheta, nec Videns erat, more humano, conantis difficultate veniæ filios suos ab iniquitate revocare; qui tamen veniam non dicit impossibilem, sed arduam. Secunda ejusdem Sententia 1. Reg. 3. intelligitur de pœna temporali peccato Heli respondente,

quæ victimis redimi possit, non de reatu culpæ, aut pœna æterna, de qua nulla ibi fit mentio, sed de Heli Domo, & familia, & quidem ad pœnas temporales victimis redimendas, non verò de æterna, & quidem post veram pœnitentiam. Vel si de ipsomet Heli sit sermo, quem Theodoret. Chrysost. Abulen. & alii apud Alapide in hunc locum, obtinuisse volunt locum salutis, de pœna temporali intelligendus, pœnitentia peracta, non autem de æterna.

107. Secundus locus Proverb. 1. loquitur de extremi Judicii die juxta Bedam, & Lyranum, tunc enim, cum sit in termino ultimato, Reprobos nulla, etsi vera esset, pœnitentia juvat; vel de judicio particulari: tunc enim, tempore fructuosæ pœnitentiæ elapso, invocatio nihil proderit: amara enim nox advenit, quando ex Joan. 9. 4. *Nemo potest operari*. Si verò locus ille ad mortis angustias referatur obitum præcedentes, Deus dicitur eorum preces minimè exaudire; vel quia solam bonorum temporalium jacturam metuunt, vel quia solo pœnæ pavore moventur ad peccatum detestandum, non Dei amore super omnia dilecti, quem ante obitum ad salutem necessarium esse, tenet Communis Theologorum sententia ap. Mastr. Nost. Theol. Moral. Dist. 9. Quæst. 3. art. 1. n. 49.; vel quia hujusmodi perversis hominibus non quidem sufficientia, quibus converti possint, sed efficacia, quibus reipsa convertantur ad Deum sicut oportet, auxilia denegantur, juxta illud Augustini serm. de Innoc. *Hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei*.

108. Tres

108. Tres verò ultimi loci ex novo Testamento desumpti, nihil aliud significant, quam peccatum blasphemiæ, de quo loquuntur, esse irremissibile, non quia sit in se tale, si vera sequatur pœnitentia, alioquin ii, qui Spiritui Sancto restiterunt, Stephanum lapidarunt, & Evangelio sunt refragati, pœnitentiam agentes minimè veniam essent consecuti, quod falsum est, Act.2. 38.: sed quia difficillimè ad cor redeunt, peccant quippè ex pura malitia, non autem ex infirmitate, aut ignorantia, ob quam D.Paulus 1.Timoth. 1. 13. asserit misericordiam impetrasse. Attamen neque de his spem salutis esse projiciendam, inquit August. lib. 1. Retract. cap. 19. *De nullo quantumvis pessimo in hac vita constituto, desperandum est, & pro eo non imprudenter oratur, de quo non desperatur.*

109. Ultimus locus ex epist. ad Hæbr. 10. minimè favet Adversariis; nihil enim aliud intendit, quam novum Christum, qui denuo moriatur, minimè expectari oportere: ex hoc autem non sequitur, dari peccata omnino irremissibilia, nam alioquin etiam novus Christus superflueret: sufficit autem Christi pro nobis crucifixi antiqua immolatio ad omnia peccata tollenda, si per veram pœnitentiam applicetur, quod sanè Hæbrei nequaquam faciebant, omnem bonorum cumulum à Messia futuro stultè expectantes.

110. Eodem sensu loquitur Apost. ad Hæbr. 6. 4. dum ait, impossibile esse, eos, *qui semel sunt illuminati &c. rursus renovari ad pœnitentiam*: per ly enim *pœnitentiam* non intelligit virtutem, aut Sacramentum Pœnitentiæ, sed secundum Baptismum, quo Fideles Christo renascantur, & absque labore,

uti in primo, veniam peccatorum post primum commissorum obtineant, quem dicit omnino impossibilem, sicuti alter Christus impossibilis est; non tamen negat secundum Baptismum Pœnitentiæ, sed laboriosum, & erumnis plenum, quem Patres, secundam post naufragium tabulam appellant, in quo crimina quidem omnia plenè dimittuntur, sed præmissis fletibus, lacrymis, & afflictionibus, internæ testibus pœnitentiæ, quæ omnia priori Baptismo minimè præmitti oportebat.

111. Obji. II. Ecclesia antiqua praxi docuit peccatum omnino irremissibile; ergô &c. Conseq. patet Prob. ant. ex Concil. Elibert. An. Christi Domini 305. sub Marcello I. celebrato, ubi negatur, ne dum in vita, sed etiam in morte gravissimorum scelerum reis dimissio, ut patet ex Can. 1. & 2. adversus Idololatras, & 6. contra recidivos Fornicarios, & 18. contra Mæchos Ecclesiasticos, etiam Episcopos, & Can. 66. 70. 71. 73. 75. hujusmodi criminum authoribus negatur communio, idest reconciliatio, etiam peractâ pœnitentiâ. Canonem verò alium, Synodo ista antiquiorem, & primis duobus sæculis vigentem, quo negabatur reconciliatio, etiam pœnitentialis, extitisse docet Sanctus Cyprianus serm. de lapsis, quæ Christi Domini judicio relinquebatur. Et certè si res ista erat adeò explorata, minimè opus fuisset, ab Episcopis Africanis Clerum Romanum, obitu Fabiani Pontificis, Ecclesiæ tunc præsidentem in re hujusmodi consuli, uti revera factum esse, Sancti Cypriani declarat Epistola 3. ad eumdem data; ergò Ecclesia primitiva censuit, dari peccatum quoddam verè irremissibile.

112. Resp. I. neg. Conseq., cum enim simus in meræ disciplinæ negotio, ejusdem varietas non inficit Dogma, semper manens invariabile: ex eo ergò, quod Ecclesia in sui exordio nonnullis peccatis veniam denegaverit, non arguit, eam non potuisse dimittere, sed solummodo, quod propter varia gravissima motiva noluerit; quæ tamen disciplina maximè post Nicænum I., & pace Ecclesiæ restitutâ, mitigata est: Ecclesia autem moderna eadem est cum antiqua, quam soli Hæretici reprehendunt.

113. Resp. II. neg. ant., ad probationem ex Canonibus Elibertinis, & aliis, qui adduci possunt, dico, intelligi debere de reconciliatione canonica, & externa, non de Sacramentali, & interna, de qua nunc est sermo: hanc enim apertissimè S. Leo Magnus admittit, Epist. 80. ad Episcop. Hispan. Sic etiam intelligenda est denegatio communionis, non de Sacramentali, sed de Canonica, qua post peccatum, ejusque pœnitentiam Rei Ecclesiæ reconciliabantur, & in integrum restituebantur; vel de Eucharistia, quæ in fine vitæ aliquibus maximis criminosis in terrorem criminum denegari consueverat; uti etiam nunc fit in aliquibus locis cum his, qui ultimo supplicio sunt damnati: præsumebantur enim rei hujusmodi non amore virtutis, sed timore pœnæ pœnitere, uti monebat Cyprianus Epist. 52. ad Antonian.

114. Cæterum etiam in primitiva Ecclesia verè pœnitentibus gravissima etiam crimina fuisse dimissa, habemus ex Tertul. lib. de Pudic. cap. 1. dicente Zephy. Pap.: *Ego, & Mæchiæ, & Fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto*. Idipsum præstitit Cor-

nelius Papa in suo Decreto cum gravissimis peccatoribus, etiam Idololatriæ reis, ipsomet suadente S. Cyprian. Attendantur exempla Pauli Apostoli Mæchum: Joannis verò pariter Apostoli Homicidam, publicumque latronem verè pœnitentem, ad communionem, & veniam admittentium. Videantur Magni Nicæni Concilii Canones 11. 12. 13. in quibus verè materna Ecclesiæ pietas elucet, omnibus, præmissa sincerà pœnitentia, veniam exhibentis, quam quidem posteriores Synodi usque ad nostra tempora secutæ sunt. Ecclesia ergò Catholica numquam existimavit, ullum dari peccatum verè irremissibile: sed, aut distulit absolutionem, ut pœnitentiam probaret; vel denegavit, quia fictam censuit; numquam tamen verè pœnitentibus, ut optimè Hieronym. adversus Luciferianos Peccatorum inexorabiles Judices.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

IN-

INDEX

Tractatuum, & Controversiarum, quæ in hac Prima Parte Manualis Missionariorum Orientalium continentur.

TRACTATUS PRIMUS

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS

TRACTATUS TERTIUS

TRACTATUS QUARTUS.

TRACTATUS QUINTUS

